ILLUSTRISSIMI DOMINI SIMONIS DE FIERLANT, ... CATHOLICO AB AFFECTU...

Simon de Fierlant

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

54-I-17

ILLUSTRISSIMI DOMINI

SIMONIS DE FIERLANT,

HISPANIARUM AC INDIARUM

CATHOLICO REGI,

IN HISPANIA AC BELGIO,

A CONCILIO STATUS, BRABANTIÆ CANCELLARII,

CATHOLICO AB AFFECTU TRACTATUS,

QUO, CLARISSIME DEMONSTRATUR,

GABRIELIANÆ, GUMMARISTICÆ, AC MACARIANÆ

TRIUM-VIRALIS CONCORDIÆ,

INANE CONAMEN, INFELIX OMEN,

ET HETERODOXI DOGMATIS,

VARIOS PER CVNICVLOS DOLOSA CONGERIES;

E ſacræ Scripturæ gremio, Conciliorum Decreto, SS. Patrum ſenſu, Theologorum communi Sententia, & ipſiſſima ratione naturali.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

TYPIS IVDOCI CALCKOVII.

M. DC. LXXXV.

AD BENEVOLUM, ET VERITATIS AMANTEM LECTOREM PRÆFATIO.

§. 1.

De priore Authoris Libello, & ejus ſucceſſu.

ERuditiſſimi *P. Ægidii Gabriëlis* Moralem reiterato examine annis abhinc circiter duobus, uti ob recentem memoriam meminiſſe facilè potes Benevole Lector, Catholicè caſtigaveram, atque ecce, eodem illo etiam anno, geminum non pœnitendi laboris pretium fructumque refero.

Duo vix abierant menſes, & jam Romanam, eamque alteram (primam ſubierat anno 1679.) & juſſu quidem Pontificio Cenſuram patitur, infelix ille Novaturientium idearum partus Moralis Gabriëliana. De hoc autem Sacræ

Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Decreto & pluribus poſtea, & commodius, ubi & ipſum verborum tenorem proferam; nunc hoc ſum contentus uno, & ita mecum velim exiſtimes, Quirinalem illam, & acrem libri Gabriëliani Cenſuram, tacitam eſſe quandam libri mei commendationem, ut qui privatâ caſtigatione eam fuerat inſectatus doctrinam, quàm publico deindè, & toti Reipublicæ Chriſtianæ metuendo fulmine Sacra Congregatio feriebat: ea ſcilicet erat utrique inter ſe libro, tamq́ue diſpar ratio, ut damnato altero comprobatus tacitè alter intelligi deberet.

Atq́ue hoc quidem primo operis mei fructu tacitè dum fruor, & in tanta hoc tempore opinionum, animorumq́ue diſſenſione meam mihi ſententiam hoc potiſſimum nomine gratulor, quod communem mihi illam, & eandem cum Sacra Romana Cardinalium Congregatione viderem: en tibi fructum alterum, nec tacitam jam, ut ante, ſed manifeſtam, eamq́ue Pontificiam Opuſculi mei commendationem: qua quidem in re ne juſto amplius aut gloriari, aut plaudere mihi videar, ipſas habe, & lege literas: ita enim ad me de mandato Pontificis Eminentiſſimus Cardinalis CIBO:

ILLU-

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Plurimum delectata eſt Sanctitas ſua Officio tuarum literarum, quo Opuſculum à Te ſingulari quâdam elegantiâ, ac eruditione conſcriptum ad ipſam detuliſti, atque egregium tuum in rem Catholicam ſtudium, perpetuamq́ in Apoſtolicam Sedem obſervantiam, & fidem luculenter demonſtraſti. Mihi itaq́ demandavit, ut Apoſtolicam Benedictionem Pontificiæ in Te Charitatis teſtem tibi ſuo nomine amanter impertirem, ac debitas laudes redderem de tam egregio pietatis tuæ documento. Ab Abbate ſanctæ Mariæ cætera cognoſces; dum Ego, virtuti tuæ inſerviendi cupidus, læta omnia cum diuturna ſoſpitate Tibi ex animo auguror. Romæ 18. *Decembris* 1683.

ILLUSTRISSIMÆ D. T.
AD OFFICIA PARATISSIMUS
ALDERANUS CARDINALIS CYBO

INSCRIPTIO
Illuſtriſſimo Domino SIMONI DE FIERLANT Brabantiæ Cancellario Bruxellis.

HAbes, mi Lector Epiſtolam, hoc eſt Pontificium de Libello meo judicium; cui de meo amplius nil addo, cum præſertim non tantùm in me meriti agnoſcam, quantùm ex ea Apoſtolici favoris percipio.

At herculè non ita intra modeſtiam Adverſarii opinor, ſtarent: nam quæ, amabo, voces, qui plauſus, qui triumphi ubiq́ue ſonarent, ſi ejuſmodi literarum aliquid, aut aliquam etiam partem, & deciſam tantum laciniam Româ accipere contingeret? non eſſet profecto urbs in Belgio, non in urbe vicus, aut in plateâ angulus cui non ſpecioſum illud teſtimonium hæreret affixum, & cubitalibus impreſſum literis prætereuntium oculis vel invitis obtruderetur: mille paſſim per Collegia ſpargerentur exemplaria, omniumq́ue adeò in manibus, omnium eſſent in ore; ipſæ mulierculæ in vernaculam tranſlata linguam & legerent, & inter muliebria ſua penſa cantando repeterent; ut nihil addam de intolerabili petulantium Comædorum Lovanii theatro, cui ad longiores etiam & plures ſycophantias hoc unum abundè ſufficeret: quamquàm quid ſordidè nugantibus, & calumniari volentibus non ſufficiat?

Neq́ue hæc à me aut fingi futiliter quis putet, aut viris optimis nequiter affricari: non enim dubitare poſſumus quid eſſent facturi, qui, quid fecerunt, non ignoramus.

Spe-

Specimen hac in re illuſtre dabit, & prorſus eximium non de grege aliquis, ſed adverſariæ doctrinæ in Belgio facilè Princeps, quem honoris cauſa nominare liceat, *Franciſcus van Vianen.* Res eſt Lovanii notiſſima, utinam & Romæ! hic vir hic eſt, qui non modo intra Domeſticos parietes, non in privatis modo congreſsibus, ſed in impreſsis Theſibus, in publicis de gratia dictatis, in Schola Academica, in Cathedra Magiſtrali, quâ fronte ſuperi! & quo ore? Cenſuram Lovanienſem Romæ à Theologis, à Cardinalibus, ab ipſo denique S. D. N. INNOCENTIO XI. cui annos Petri reverenter precamur, approbatam eſſe fingere, nequid gravius dicam, confidenter auſus eſt. IPSE Pythagoræo ſcilicet ſupercilio, DIXERAT; & rationis ſatis, ſatis fuit argumenti ut Schola elapſi Diſcipuli totam per urbem ſic quaſi conducti præcones, audax Magiſtri figmentum jactabundi ſpargerent. Neque tamen eos ne nimiæ quidem credulitatis poſtulo; nam quis fraudem hic ſuſpicetur, aut Viro eximio, Sacerdoti, jurato reſtrictionum hoſti, tam publicè, tam confidenter aſſeveranti non credat? præſertim viventibus adhuc Theologis, Cardinalibus, atque ipſo S. D. N. INNOCENTIO XI. quorum nominibus tam imprudenter abutebatur. Sed IPSE, ut ajebam, DIXERAT; ego novi de proſtratis iterum Adverſariis ubique plauſus, & mille certatim victrici Cenſuræ cantata epinicia.

Audiit intempeſtivos cantus vicinus S. T. Profeſſor,

eoſque primo interrupit, dein etiam compeſcuit. Dubitare eum meritò multa faciebant; Mandatum Apoſtolicum olim juſſu S. D. N. SIXTI V. editum per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum *D. Octavium* Epiſcopum Calatinum, ipſius INNOCENTII XI. in Decreto nupero contra 65. Propoſitiones verba : *Non intendens tamen Sanctitas ſua &c.* Varia Româ contra fictitiam hanc approbationem teſtimonia, & plura alia, quæ doctè & pluribus proſequitur in Theſibus ſuis Theologicis anno 1682. *pro authoritate* SIXTI V. *&* INNOCENTII XI.

Hoc denique ſuis Theſibus planè evicit, ut nemo jam dubitet, &, ſi paucos exceperis, qui quidquid Eximii illi effutierint tamquam ex tripode oracula admittunt, omnes perſpiciant Romanam illam Lovanienſis Cenſuræ approbationem non Romæ, ſed Lovanii, & in paucorum hominum cerebro parum ſincero fabricatam : fidem enim dicti ſui præſtare rogatus publicis & repetitis Theſibus, Deus bone ! ut ſe miſerè torſit Vir eximius ! primo teſtimonia turpiter variare, dein tacere omninò; utroque vincebatur; nam & ſilentium in eo rerum articulo manifeſta confeſſio, & tanta in teſte variatio plena erat falſitatis probatio. Heu, tibi autem ! adeſt Collega & Principalis ſui miſertus D. Gummarus, ſed cauſæ malæ nihilò melior Patronus, ut quam nova iterum variatione prodere magis, quam adjuvare viſus eſt : atque

ita

ita in ventos abiit inflatum illud & tot Romanis nominibus turgidum teſtimonium.

Hæc paulò repetita altius, opinor ſufficient, ne fervore quodam ſcribendi,ab Adverſariorum ingenio aliena videar eſſe commentus: quàm altè enim per tuam fidem Lector benevole, quàm contentiosè vociferaturos fuiſſe putas, ſi aliquid demum, quo verè gloriari poſſent, haberent, quorum tantos in re falſa & fictitia clamores audiviſti.

Ego interim ad Pontificium de libro meo judicium reverſus Patrem Gabriëlis oro amicè obteſtorque, vices mihi, quas debet, rependere velit, & quemadmodùm ego ex manifeſta libri ejus Cenſura tacitam libri mei commendationem erui, ſic ipſe viciſſim in Apoſtolica libri mei commendatione tam manifeſta, novam, eamque non obſcuram ſui libri condemnationem agnoſcat.

§. 2.

De hoc altero Authoris Libello, ejuſque cauſa, & ſcopo.

ERit fortaſſe cur mireris, benevole Lector, & curioſius tecum ipſe diſpicias, quid eſſe. potuerit, quod me, in hac provecta annorum orbita moverit ad ſcribendum hunc libellum; ad quod æquiſsima ratione reſpondeo, altioris me quidem eſſe ætatis, ſed talis

talis, quæ neutiquam defectuoſa eſt ad refellendas blateronum quorundum in Chriſti Eccleſiam ſatyras ac blaſphemias: amor certe antiquæ ac veræ religionis, odiumque adulterinæ novatorum doctrinæ, favente Divino auxilio me ad agendum valentem præſtitere, & ad ſcribendum impulere; prototypo ac exemplo deprompto ſacris è litteris, ſeniores ad regendum ac erudiendum populum advocantibus: uti docto ſacroque compendio delineavit *Gabriel Palæotus* S.R.E. Card. ſuo in Tractatu de bono ſenectutis: quare nunc, præfatæ me eſſe ætatis haud diffiteor; præcipue cum & tunc, quando priorem ſcriptiunculam annos ab hinc non omninò duos elapſos evulgavi, par idemque fuerim: memor etiam quod tunc temporis, in Præfatione expreſſerim me omnia perſtrinxiſſe, ſingularem ob dilectionem veritatis antiquæ, & indignationem novæ ſparſæ zizaniæ; Nugæ proinde ſunt ac quiſquiliæ, garrula contra ſenium eructata dicteria & impia in verum protruſa mendacia: at enim non refrixit ille in me amor, nec mitius me hodiè exercet in novaturientes odium, ut adeò mirari nemo debeat, ſi in ſuum iterum effectum integra adhuc cauſa exierit.

At nec publico Chriſtianæ Reipublicæ bono, & Belgii noſtri tot per ſententias diſtracti tranquillitati ſatis conſuluit libellus prior; nec ſatis Roma, repetito quamvis per duo Decreta ictu, Moralem Gabriëlianam confixit, quando illa in libro proſtrata uno, periculoſius per-

perſtat in pluribus. Sed quin nos clarius, nec obſcurioribus involutam verbis rem, ut eſt, planè proferimus.

Exulant, certè, ſi quæ eſt Romanis Decretis obſervantia, exulare debent omnium pulpitis ac manibus quocumque demum impreſſa, aut imprimenda idiomate R. P. *Ægidii Gabriëlis* Specimina Moralia. Nihil eſt, quod hic metuatis Academici Lovanienſes, Bibliothecas veſtras non ingredior, ſcrinia & pulpita non executio, non luſtro curioſius, an inter Montaltii literas, notaſque Wendrochii, Montenſe Teſtamentum, Rituale Aletenſe, reliquoſque Romano fulmine ambuſtos libros nuſpiam latitent malè ominata ſpecimina: dabo id vobis hodiè, & quam vos habere par eſt, habere credam Romanis Cenſuris reverentiam: exulat ergò, nam ita Lector tantiſper cogitabimus, Lovanienſium Bibliothecis Liber Gabriëlianus: quid tamen hoc juvat, ſi nec cum D. Macario Havermans ejus Opuſcula interierunt, & nocturnis tantum non manibus ac diurnis aſſiduò teratur famoſa illa Methodus Gummariana: qui quidem Libri cum Gabriëlianis tanta ſunt affinitate conjuncti, ut germanos propè, & ejuſdem Patris fœtus credas; nec mirum, communem habent originem, & ab eodem fonte ſunt rivuli, quorum quidem ſi non omnium curſum ſtiteris, ſed uni tantum objeceris obicem, id quidem feceris, ne triplici jam, ut ante, alveo fluat unda peſtifera; ne reliquis duobus copiosè minùs, ne non majori fluat cum impetu, non feceris.

Habet tamen hic liber præter communem illam, aliam præterea, ſibique magis propriam rationem: poſſet enim, nec in ſpeciem injuſtè de me, meaque fide graviter conqueri R. P. *Ægidius Gabriëlis*, & mihi crudè in os ingerere ſpecioſum iſtud in prioris Libelli ad Lectorem præfatione: *Nullæ mihi privatæ cum P. Gabriëlis inimicitiæ; amo virum, non amo doctrinam.* Et meis me ita verbis perſtringere: videris enim verò privatas mecum inimicitias exercere, & me magis, quam doctrinam meam odiſſe; unum me impetis, nec unus tamen hanc doctrinam ſuſtineo; quid enim, ut de D. Havermanno taceam, ego quidquam, in materia præſertim Sacramenti Pœnitentiæ, rudi penicillo delineavi, quod non magiſtrali manu in ſua methodo plenius depinxerit D. Gummarus Huyghens? niſi minùs fortè, & non potius plus periculi minetur error, quem ad gravius nocendum Eximia Viri authoritas armavit: ego interim ſolus à Te vapulo, & quâ denique æquitatis ſpecie Tu præſertim id facias, qui legum vindex, arbiterque juſtitiæ ignorare non potes, jura omnia in ejuſdem criminis reos eandem quoque pœnam decernere; quare in id quidem loci adductum te vides, ut aut verborum tuorum pœnitere te debeat, aut quam in me doctrinam odiſſe te teſtimonio publico probaſti, in Methodo viciſſim Gummariana & libris Macarianis non amare te oſtendas. Ita quidem ad me; nam proximum eſt, ut longius, & Romam uſque has ſuas querelas deferat, &

ipſam

ipſam ſacram & univerſalem Inquiſitionem accuſatum eat, quaſi iniquius in Gummaro patiatur, quod in ſe damnarit; tum etiam hoc potiſſimum nomine tantô æquioris judicii Toletanos Cenſores laudare inſtituat, quod ne Decreto quidem libros voluerint eſſe diviſos, quos una eademque doctrina conjunxerat.

Majus igitur priore Opus molimur, & unâ eademque operâ privatam odii aut inimicitiarum ſuſpicionem amoturi, communique Chriſtiani orbis bono conſulturi plenius, tria conjunximus ipſo in titulo nomina, ſed amica; tres, ſed ſimilis doctrinæ, Magiſtros. Nec inſulſus hic quiſpiam mihi veniat Criticus, & temeritatis me poſtulet, quod feliciore prioris pugnæ elatus ſucceſſu in plures unus ego impetum faciam: tum etiam ineptè peritus antiquam illam paræmiam occinat *ne Hercules quidem contra duos*: næ is intelligendo facit, ut nihil intelligat; nam nec plures ego laceſſo, nec laceſſo unus; ut qui non tres mihi adverſarios impetendos propoſui, ſed unam in tribus Magiſtris doctrinam debellandam ſuſcepi; nam quoties antiquum illud meum mihi recantandum erit; *Homines amo, ſed odi doctrinam*; at neque unus, & ſolus in arenam deſcendo, cui ſocialium inſtar agminum ſunt pii Catholicæ veritatis vindices; id enim te monitum etiam velim, Lector Benevole, non tam me meis quam heroum iſtorum pugnaturum manibus è quorum pharetris tela mea omnia depromo. Neque hic ego obſtrepentium

aut id mihi exprobrantium Adverſariorum clamores metuo, prudentiores futuros exiſtimo, quam ut mihi vitio velint id vertere accuſatores ridiculi, quod mecum habent commune, cum hoc tamen diſcrimine, quod me Sociorum meorum uſque adeò pudere non debeat, ut quorum ſtudio & induſtriâ, Libris ac Theſibus hoc quidquid demum eſt operis paulatim perfeci, eorum nomina etiam cum laude paſſim in medium proferre geſtiam: at at faciant id ſi auſint, & ſatis frontis habeant Adverſarii; mentior, ſi non continuò nominandi venient Marcus Antonius de Dominis, Petrus d'Oſma, Janſenius, Bajus, & plures ejuſmodi Romano ſtigmate turpiter notati homines. Reliquum eſt, ut ingenium, ſtudium, calamum, librum, meaque demum omnia Romanæ Sedis arbitrio, judicioque Chriſtianè ſubjiciam; cui quidem ſedi, ſi hunc æquè librum ac priorem, placere contigerit, meque adeò felicem præſtiterit, ut liber hic paris laboris præmium, ac Benedictionem Apoſtolicam promereri potuerit; tum denique votorum ſumma nactus optime vixiſſe me putabo & in hæc verba lætus erumpam: Reſpice miſericors Deus in indignum famulum tuum & ſis mi Domine hoc in orbe ac opere adjutor, tot contra Eccleſiæ fideique tuæ, obſtrepentes, clam palamque hoſtiles animos, ac feroces impetus. Chriſtiani Alcidis hic clavâ ac faculâ adverſus triceps portentum opus eſt.

PAR-

PARTITIO OPERIS.

D*Octrina Eximii* D. Gummari Huyghens, *& Eruditiſsimi* D. Macarii Havermans, *& utriuſq; Librorum cum Doctrina, & Libro Eruditiſsimi* P. Ægidii Gabriëlis *ſemel Toleti, bis Romæ damnato infelicem in materia præſertim Pœnitentiæ concordiam demonſtraturi, tria potiſsimum nobis præſtanda eſſe putavimus.*

Primò, cum rerum ignotarum (ut eſt in proverbio) nulla inter ſe comparatio ſatis aptè inſtitui poſsit, ante omnia accuratam æquè, ac fidelem ſingulorum librorum hiſtoriam damus; & diligentius quidem Librum Gabriëlianum excutimus & ejus male ominatam fortunam exhibemus, ut jam indè ab initio ſuſpecta nobis fiat cujuſcumq; doctrina, quæ cum illius morali periculoſam affinitatem contraxerit: huc ferè duo priora capita reducuntur.

Deindè Pœnitentiales ſingulorum Canones referimus, eoſque inter ſe collatos minutius expendimus, & quam non modo in eaſdem conſpirent ſententias, ſed eaſdem rationes adferant, eoſdem fucos, coloreſque adhibeant; tum illud potiſſimum attendimus, quam tacitè & ſine ſtrepitu cuniculos infra terram ad ſubruendum ipſum Pœnitentiæ Sacramentum moliri videantur: & hæc altera, & præcipua pars eſt & ipſum totius operis veluti corpus.

Denique, ne aliquid deeſſe videatur, ipſius Sacramenti pii contra Adverſarios vindices machinas eorum convellimus, fraudes detegimus, rationes explodimus, & quam turpiter à Sacra Scriptura, SS. Patribus, & primis Scholæ principibus deficiant, adductis reverenter eorum oraculis & effatis, luculenter oſtendimus.

Tum, ne non liberaliter agamus, reliquo operi, ſic quaſi cumulum, brevem ad alias materias digreſſionem adjicimus; tu Lector æqui boniq́ue conſule, & labore noſtro ſi lubet fruere.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Libellus Eruditiſsimi Patris Ægidii Gabriëlis.

QUid me autem reſpectas, *R. P. Ægidi*, & contracto graviter ſupercilio torvum adeò, & indignantis in morem identidem intueris? offendit te, quantum video, primi capitis titulus, & ægrè fers novam tui fieri mentionem; & de quo nihil poteſt cum laude, omnia debent cum vituperio dici, ejus libri, tu potiſſimum quia tuus eſt, male ominatam exhorreſcis hiſtoriam. Ego vero nec miror, nec quaſi delicatulo iraſcor; ſcio non ſine dolore ſaucii tangi vulnera, iſtamque adeò triſtioris vultus contractionem, non exacerbati in me animi, ſed præſentis ex tacto vulnere doloris indicium eſſe interpretabor. Tu interim macte animis, mi Pater, & heroïca virtute dolorem omnem ſupera, & pro ea, qua ad alienam etiam emendationem fortiter eniti debes, Chriſtianâ charitate, tua patere à me tractari vulnera, tuam patere repeti, renova-

novarique ſtragem, ut qui hujus Libelli ſcopus eſt, & tuo ſe læſos vulnere, & tuâ ſe quoque proſtratos clade intelligant commilitones tui, & ejuſdem tecum cauſæ quam pertinaces, tam malè fortes, nec pii ſatis Defenſores Eximius *D. Gummarus Huyghens*, & Eruditiſſimus *D. Macarius Havermans.* Quo autem molliori manu facere poſſim omnia, ad ultimum uſque hujus capitis paragraphum tibi valedico, paragraphis reliquis cum ſolo Lectore (quem ante alios cum Macarianæ doctrinæ hæredibus ipſum velim *D. Gummarum*) hiſtoricum de te tuoque Libro colloquium inſtituturus. Tu ſi ex clara ac diſtincta, quam habere te gloriosè jactitas, tui idea delicatulum te nimis ac tenerum cognoſti; nec is es, qui, aut fidere tibi ſatis, aut temperare poſſis, lectione, amicè jam ante præmoneo, abſtine, &, prioribus tacitè præteritis ad ultimum uno ſaltu paragraphum fac tranſilias, ubi te, ut dixi iterum conveniam, ſed quo paratiorem, meliuſquè diſpoſitum conveniam utiliter, quam ego fideliſſimè ut potero lectori referam, tu quam voles belliſſimè, & quam poteris molliſſimè tecum ipſe variam, eamque luctuoſam ſpeciminum tuorum fortunam repetes; ſcis enim & nimium meminiſſe neceſſe eſt.

§. 1. *EDITVR.*

§. I.

EDITUR.

QUam in priori libello, hiſtoricus utique præteritorum, non futurorum vates, partem hiſtoriæ prætermiſi ultimam, hoc capite relaturus, non abs re fore judicavi priora repetere, ut totam ita, & jam perfectam, ſuiſque numeris abſolutam omnibus uno in libro commodius haberet Lector libri Gabrieliani hiſtoriam: ne nihil tamen priori narrationi dediſſe videamur, parumq; Lectorum faſtidio conſuluiſſe & aliâ rem eandem repetemus phraſi & narratam illic fuſius in breve hic compendium contrahemus.

Anno 1675. in lucem prodiit æternis dignior tenebris famoſus ille liber, & ad Cenſuras quaſi natus: nec prodiit derepentè, aut inexſpectatè, ſed nobilem adeo partum Theologicæ theſes, ſic quaſi prodromæ, biennio ante prænunciarant.

Titulus fuit, & pro homine religioſo haud modeſtus, & pro aureo charitatis buccinatore haud pacificus; en tenor, *Specimina Moralis Chriſtianæ, & Moralis Diabolicæ in praxi: Auctore R. P. F. Ægidio Gabriëlis S. T. B. F. tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, vulgò Beggardorum S. T. Lectore.* Horrenda inſcriptio, *Moralis Diabolica*, & quæ primos Lectoris oculos meritò terreat: ſed debet horrendus fœtus horrendo inſigniri nomine, & larvis ſpectriſque infeſta domus, non aptius aliud in frontiſpicio inſigne præferre, quam Diaboli.

Interea, ut diverſa ſunt hominum in Belgio ſtudia, ita varii erant animorum motus; plaudebant paſſim Bajo-Janſeniani, nec mirum; in libri foliis, ſic quaſi in pueri genis, paterna Baii Janſeniique lineamenta legebant, ut adeo ex ipſo veluti vultu, quibus ortus eſſet majoribus fœtus hic, facilè agnoſceretur; inter alios autem Lovanienſes Racematores ita favebant apertè, ut nati recens opuſculi patrinos crederes: genethliacum certè, magnificum opus, quin ſuperbum, ſeſſione & hebdomade ſecunda cecinerunt; ſed de hoc commodius poſtea.

Plauſus iſtorum & cantus comitabantur pii bonorum gemitus; quorum vota omnium nomine vir eruditiſſimus, & de re chriſtiana vel hoc uno optimè meritus Franciſcus Simonis ad Clementem X. Pontificem maximum reverenter detulit; & potuit primo in ortu periculoſum virus tunc ſuffocari, ſed aliter viſum ſuperis; credo, ut ſæpius poſtea & majori periret cum infamia.

§. 2.

DAMNATUR.

ECce è natali Belgio in Italiam defertur infauſtus liber, & Eminentiſſimis S. R.E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede ſpecialiter deputatis examinandus offertur. At ſenſit hic quam multum Lovanio Roma diſtet; quamque alia ſit S. Romanæ Inquiſitionis ſententia ab inſulſo racematorii conventiculi judicio. Cenſura non vulgari proſcribitur, quam ipſis Decreti verbis exhibeo.

D E-

DECRETUM

Congregationis Generalis, & Univerſalis Inquiſitionis coram Cardinalibus &c. Feria 4. die 27. Septembris anno 1679.

CVm prodierint duo libri, qui, niſi è medio tollantur, erroribus Chriſti fideles inficere poſſunt, Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales Inquiſitores Generales prædicti eos prohibendos eſſe voluerunt, prout præſenti Decreto prohibent: mandantes, ut deinceps nemo cujuſcumque gradus & conditionis exiſtat, ſub pœnis in S. Concilio Tridentino, & Indice librorum prohibitorum contentis illos imprimere, vel imprimi curare audeat, aut apud ſe quomodocumque retinere, aut legere; & ſub iiſdem pœnis, ut quicumque illos habent, vel deinceps habituri ſunt, eoſdem Ordinariis locorum, ſeu Inquiſitoribus ſtatim à præſentis Decreti notitia exhibere teneantur, & hoc ubicumque, & quandocumque, & in quovis idiomate fuerint impreſſi, vel impoſterum forſitàn eos imprimi contingat.

SUNT AUTEM INFRASCRIPTI.

Specimina Moralis Chriſtianæ, & Moralis Diabolicæ, Auctore R. P. F. Ægidio Gabriëlis, *Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, vulgò Beggardorum, &c.*

At quâ, putas Lector, reverentia excepit hoc Decretum P. Ægidius? qua Romana ſcilicet Decreta quandoque ſolent Lovanienſes; ii nempe (nolim enim toti Facultati turpem adeo notam inuſtam) quibus Bajus, Janſeniuſque Romanorum inſtar Pontificum ſunt; ergo multa in plebem ſparſa, inania illa quidem, & futilia, ſed ejuſmodi tamen, quæ plebeiâ ſimplicitate in abuſum trahi poterant, & apertè Romanam Cenſuram ludificare. Dicitur non librum, ſed libri titulum Romanis Cenſoribus diſplicuiſſe; ſcribendi modum, non Auctoris doctrinam cenſuratam; aut ſi quid fortè ipſius doctrinæ cenſoriâ virgâ notatum ſit, ad ſummam rei, & ad Chriſtianæ Doctrinæ medullam nihil quidquam facere; his ventis vulgus in Belgio paſcebatur.

Interim non felicioribus avibus Pyrenæos montes ſuperavit, quam Alpes; nec mitiores Cenſores Toletanos, quam Romanos ſua clade expertus eſt Vaticano fulmine adhuc fumigans liber; & ne actum agere viderentur, novum ſtigma novi Cenſores inurunt, & reſuſcitati Bajaniſmi & Janſeniſmi condemnant, addentes propoſitiones in eo contineri ſapientes Hæreſim, ſchiſmaticas, erroneas, falſas, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas Chriſto Domino noſtro, Conciliis & ſanctis Patribus.

In hoc tam gravis ſtigmatis ſupplicio id tamen habuit ſolatii miſer *P. Ægidius*, quod quem in doctrina ſocium, fortè & Magiſtrum habebat, eum in pœna quoque ſocium videret Eximium *D. Gummarum Huyghens* : ſed & ſuum

Viro

Viro Eximio dabitur caput, totum hoc ſibi *P. Gabriëlis* vindicavit : quare bipartitæ cenſuræ primam partem hic quidem ſubjicio, alteram ſuo loco daturus poſtea, ubi mihi cum Viro Eximio res erit.

CENSVRA ET PROHIBITIO

Facta ac data Toleti per Commiſſarios Inquiſitores Apoſtolicos 28. Auguſti anno 1681. contra duos Libros, qui ſequuntur.

Nos los Inquiſidores Apoſtolicos .... mandamos ſe recojan y prohiban del todo *los Libros y Papeles ſiguentes.*

VN *Libro in octavo cuyo titulo es*: Specimina Moralis Chriſtianæ, & Moralis Diabolicæ in praxi, Auctore R.P. F. Ægidio Gabriëlis tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia, Bruxellis typis Eugenii Henrici Fricx 1675. *por contener Propoſiciones Hæreticas de Michaël Bayo, y Ianſeniſtas, ſapientes hæreſim, ſchiſmaticas, erroneas, falſas, temerarias, eſcandaloſas, malſonantes, injurioſas à Chriſto Señor nueſtro, Concilios y ſantos Padres.*

Otro Libro en Octavo, que ſe intitula, Methodus remittendi, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quid

Quid hic autem? Toletano tonitru movebitur homo, quem Romana fulmina tam parum terruerunt? credant id poſteri; Nos, qui in eludendis Cenſuris Novaturientium ingenium novimus apprimè verſatum, novos iterum cavillos, novos ad ludificandum colores, novas exſpectamus artes, quibus cenſuræ & autoritas elevetur, & in judicando iniquitas, ſiquâ veri ſpecie poſſit, oſtendatur: & vero querelæ tanto fuerint vehementiores, quanto probroſior erat tot tamque turpibus notis Hiſpana Cenſura; tanto frequentiores, quanto major erat ex Gummarianis ſimul & Gabriëlianis in Toletanum judicium conjurata & confœderata factio; tanto denique audaciores, quanto impunius & minori apud Chriſtianos Belgas invidia Toletanam potius, quam Romanam Inquiſitionem traducere, & irreverenti ore arrodere poſſe ſe putabant.

Hinc non timida tacitè indignantium murmura, ſed apertos palam vociferantium clamores audivimus, corruptos nempe fuiſſe Adverſariorum fraudibus Hiſpanos Inquiſitores, ut adeo ſuſpectum debeat eſſe eorum judicium, qui æmulorum addicti ſtudiis plus inconſulto palponum iſtorum favori, quam veritati tribuerint; nec potuiſſe non eſſe iniquos judices, qui parte inauditâ alterâ, ſententiam tulerint; quid? corruptos, ſuſpectos, iniquos Hiſpanos Judices? & hæc in hiſpano Belgio? nec ab infima plebis fæce? ſed à Viro eximio, & ab homine Religioſó autoribus? & adeo palam? modeſtius ſane viri boni agere debuiſſetis, væ enim væ vobis,

ſi

ſi ejuſmodi aliquid Hiſpania umquam inaudiat. Quid autem poſtea ? Toletanam Inquiſitionem ſuis circumſcribi terminis, nec ad Belgium uſque cenſoriam virgam extendere, nec peccaturum adeo Belgam, qui ei parere prorſus recuſet. Res horrida Sanctum in Cœtum Hiſpaniacum: Imo inventus eſt, qui à Toletano Tribunali ad Romanum appellaret? quod quidem quamquam & bene fieri & legitime aliis poſſit in cauſis, in hac certè ridicule & commiſsâ in Regem injuriâ fiebat; nam eum, quiſquis ille fuit, aut harum rerum rudem omnino fuiſſe, aut oppidò obliviosſum neceſſe eſt, qui aut ipſam Romanam in hunc ipſum libellum cenſuram ignorare potuerit, aut ejus tam cito obliviſci. Inutile modo ac ſupervacaneum cenſeo pro Toletana Cenſura apologiam conſcribere, futiles enim rationum nugæ (quales adferunt) ad ſolum ſacræ Inquiſitionis nomen alliſæ franguntur; nec potuit ſanè non eſſe illi illuſtre ad gloriam, Romanæ Cardinalium Congregationis imitatricem cenſuram, communi cum ea calculo perniciosſum adeo librum condemnaſſe.

§. 3.

CORRIGITVR.

TOnitrua inter & fulmina ſæpe ſerenum videas; & viderunt ſerenum, vel certè videre ſe crediderunt Romanam inter ac Toletanam tempeſtatem Gabriëliani libri fautores. At poterant homines futurorum non ſatis providi ex nautis diſcere majorem malaciam majoris deinde ſecuturæ tempe-

peſtatis non raro eſſe indicium. Hic certè fuit; videamus. Evocatur Romam P. Gabriëlis; ſed ille adire locum horret, quo fuerat læſus, poëticum illud tacitè, opinor, ſecum ingeminans,

Venit in hoc illâ fulmen ab arce caput.

Quid agit? multa prætexit; ſed fruſtra; Roma jubet; paret, ſed ægrè, & plumbeis, ut audio, pedibus Romam adrepere potius, quam proficiſci viſus eſt: parva mora eſt; tarditatem illam reparavit, velocior quippe fuit dum rediit, & Româ fugientis in morem potius, quam diſcedentis in Belgium properavit.

Non levè tam diuturnæ viæ pretium id tandem obtinuit, ut erroribus (ita ſanctè promittebat) ſublatis, in novam lucem è tenebris ſuis retraheretur damnatus liber: atque ecce nova prorſus rei facies; candidior in fronte titulus nihil habet diabolicæ fuliginis, & longam exhibet ſeriem titulorum, credo, ut per eos commendatus Pater majorem renato fœtui auctoritatem conciliet: *Definitor* edicitur *Generalis Apoſtolicus, & per Belgium Commiſſarius*; magna nomina, ſed nova in Ordine ſuo officia, bono Patri non invideo: neque enim ita ſum ferreus, ut inflicta foris tam gravia vulnera domeſtico oleo inungi vetem: ſed credo non fore balſamum quod multos in annos cadaver conſervet; & metuo ne illud ipſum oleum Roma aliquando abſtergat; utinam fallant præſagia. *Studiorum* indigitatur *Regens Generalis*; belliſſimè, in Philoſophicis Carteſium, cujus Opera Phi-

Philoſophica à Romana Congregatione ſunt prohibita; in Theologicis Bajum & Janſenium (teſtor Toletanos Inquiſitores Apoſtolicos) ſecutus Magiſtros ſtudiis Regens Generalis præficitur; hic tu, ſi potes, Lector benè ſub hoc Præſide Beggardorum ſtudiis precare. *In Alma Univerſitate Lovanienſi S. Theologiæ Licentiatus*: non poterat diutius in Baccalaureorum turba latere Vir Erudiτiſſimus, nec debuit ejus obeſſe licentiæ, quod eam in Speciminibus ſuis protruſiſſet doctrinam, quæ *erroribus*, ut Roma loquitur, *Chriſti fideles inficere poſſit*, quando ad Doctoralem etiam lauream per malè ominatas, & Romæ reprobandas, configendaſque Theſes, ut eventus poſtea docuit, gradum fieri non ita pridem vidimus.

Poſt hunc titulorum ordinem *correcta* dicitur *ab Auctore* hæc *ſecunda editio & aucta*; auctam video, ſed, ut arbor eſt, ita creſcit, nec auctum monſtroſum prodigium, minus monſtrum eſt: nam quod ibi ſpecioſè additur de correctione merum eſt commentum ad fallendum primos rudium lectorum oculos, niſi forte ſublatos dicas errores, qui ſubdolè diſſimulati tanto periculoſius ſuperſunt, quanto cautius deliteſcunt; ita eſt; qui virus tegit, virus non tollit; nec errores corrigit, qui ſubtilius eos inſpergit.

Huic magnifico adeo, ſplendidoque titulo, vulgari, ut fit, charactere Impreſſoris nomen ſubjicitur, at grandiuſculis ſuperbè excuſa litteris, Impreſſionis locus, ROMA legitur: & quos una illa vox Plauſus excitavit? hoc erat, quod ad nau-

ſcam jactabundi ingeminabant, hoc impreſſis è Flandria typis toto Belgio ſpargebatur, è cineribus ſuis redivivi inſtar Phænicis renatum denique P. Gabriëlis opuſculum & Romæ, ubi perierat quoque renatum. Verum dato quod Romæ excuſus ſit, quid inde? quid poſtea? Romæ ſcilicet Romæ (juvat enim hanc ipſam vocem iis in os regerere) Romæ, inquam, & typis quidem Cameræ Apoſtolicæ brevi prodibit S. Congregationis acre Decretum, quo natum in ſinu ſuo libellum Roma condemnet: vos interim, ſi lubet, plaudite & ab impreſſionis loco librum laudate, quando nihil habet Romani præter typos.

Sed jam ſatis multa de titulo, vertamus folium; eſt ſanè cur attentis oculis libri dedicationem aliquanto diligentius contemplemur; præſertim cum ex ea claram & diſtinctam autoris Ideam, quam jam altiorem de ſuo libro concepit, non obſcurè cognoſcere liceat: Domino Jesu Christo ſecunda hæc editio, itidem ut prima, & Dominæ Mariæ inſcribitur, & dicatur: gaudeo equidem non pænituiſſe eum Præſidum ſuorum, & quos ſemel ſtudiorum Patronos piè ſuſceperat, ſub eorundem conſtanter clientela, & patrocinio perdurare voluiſſe; at quàm hac in re ejus conſtantiam laudo, tam eum imprudentiæ condemno; poterat enim, ſi non planè plumbeus eſt, ex infelici primæ libri ſui editionis fortuna diſcere, tam Sanctis Jesu & Mariæ nominibus munus placere non potuiſſe, quod Sacræ Romanæ, & Generali Reipublicæ Chriſtianæ Inquiſitioni tam

gra-

graviter diſplicuiſſe videbat; erat ergo pii & Chriſto-parthenophili animi ingratum adeo munus invitis iterato non obtrudere, nec quem à ſua clientela librum rejeciſſe ſatis videri poterant tales Præſides, eorum iterum patrocinio committere; atque adeò, ſiquid Chriſtianæ prudentiæ habuiſſet, aliud profecto, & ex purioribus hauſtum fontibus, & quod boni omnes laudarent, probaret Roma, JESU & MARIÆ volumen divino utique & virgineo patrocinio dignius conſecraſſet: Nunc vero quid illud? CHRISTO, non ut in priori editione RECENTER NATO, ſed, A MORTUIS RESURGENTI, ſed, NON AMPLIUS MORIENTI, ſed, MORTIS TRIUMPHATORI, & MARIÆ; non ut ante RECENTER PARIENTI, ſed, TRIUMPHORUM COMPARTICIPI, ſed ad CÆLESTIA REGNA ASSUMPTÆ. En tibi turgidas & triumphales de ſecunda hac editione *P. Gabriëlis* Ideas; nam quis rudis adeò, aut cæcus eſt, qui, ſi inſcriptionem utramque attentius ſecum ipſe exegerit, manifeſtè non videat, ſub ſpecie cæleſtium illorum nominum tacitam eum ſibi, ſuoque libro panegyrim texere; ita enim homo callidus titulos congerit, ut quos in Chriſtum magnificè confert, de libro; quos in Mariam, de libri Authore tacitè velit intelligi; ut adeò pietatis jam non fuerit CHRISTUM & MARIAM nominaſſe, ſed tectæ arrogantiæ manifeſtam nimium affectatæ laudis invidiam declinantis: & hæc nimirum illa eſt ratio, cur, cum eundem offerret librum, & eoſdem Patronos nuncupatoriâ quaſi epiſtolâ allo-

quereretur, non iiſdem tamen compellaret titulis: competebant illi quidem CHRISTO & MARIÆ, ut ante, & æquè competebant, ſed versâ jam in aliam faciem rerum fortunâ, nec libro amplius, nec Authori ſatis competebant; quærendi igitur alii erant, ac novi, qui in hoc etiam rerum articulo Chriſto & Chriſti Parenti, cum libro & libri parente, quantum fieri poſſet, eſſent communes. Fidem dictis faciet dedicatio utraque, audiamus. Cum primùm Specimina Moralis Chriſtianæ & Diabolicæ, & primam daret in lucem, CHRISTUM & *recenter natum* dicit, & *lucem hominum*, & *viam*, & *veritatem*, & *vitam*; hæc de CHRISTO cum ſcribebat, nihil de libro putas cogitaſſe? nega, ſi neque de ſeipſo cogitaſſe putes, cum ita MARIAM compellat, *recenter ipſum parientem, in ipſo, & per ipſum caput ſerpentis* (hoc eſt moralem Adverſariorum, ut ipſe vocat, diabolicam) *conterentem*. At quam alia evenerè omnia: *Lux* illa hominum æternas damnatur ad tenebras, *via* erroribus obnoxia judicatur, *veritas* falſitatis damnatur, *vita* infelici mortis genere perit, neque adeò *contrivit* adverſariorum doctrinam, ſed in ſuo libro ipſe Author contritus eſt.

Nova & correcta prodit Editio; adeſte ſanctiſſimi Præſides, & renatum opus ſuſcipite, audimur, procul eſte profani, adeſt idem CHRISTUS, ſed novis ornatus titulis, nec parvus, & *recenter*, ut ante, *natus* ſed in perfectam *auctus* ætatem; imo, Lector, adeſt liber idem, ſed novo inſcriptus titulo

titulo & perfecto *auctus* incremento; adeſt CHRISTUS (hoc eſt liber Gabriëlianus, quando ita vult) A MORTUIS RESURGENS, NON AMPLIUS MORIENS, MORTIS TRIUMPHATOR: nec procul à CHRISTO ſuo MARIA, ſeu à libro ſuo *P. Gabriëlis* abeſt TRIUMPHORUM COMPARTICEPS; & merito: qui enim communi, ſuo cum libro ſtrage paulò ante fuerat obrutus, non debuit ab eo in triumpho ſejungi: triumphum dico, ſed in brevem, & lugubrem Paragrapho quinto tragædiam abuturum.

Habes ſecundam Editionem ab Authore, ſi ſuperis placet, correctam; ſed melius nempe à S. R. Congregatione ac plenius corrigendam; de qua quidem nihil video præterea magnopere hic ſcribendum; nam adjecta ſub initium S. Palatii Magiſtri approbatio quo errore ſubrepſerit, docuit libellus prior; quàm ipſum Magiſtrum ægrè habuerit, planum facit *Cornelius Zeghers*, & Romanas hac de re literas exhibet; quare ita merito ſtatuendum eſt, approbationem omnino eſſe nullam, quam ſubreptitiè intruſam approbator ipſe (quantum in ſe eſt) deletam prorſus vult atque craſam.

Supereſt ipſum totius libri corpus, & per tot paragraphos, ſic quaſi per totidem membra, animæ inſtar, diffuſa doctrina. Sed hanc ſuis ſcrupulis quàm doctè tam piè ſcrupuloſus Cornelius ita Chriſtianè exagitavit, ut ejus exemplum imitari me non piguerit, & tam præclari operis ſocius eſſe voluerim; repetitumque

adeò

adeò ad examen traxi, & priori meo libello Catholicè caſtigavi; & quam felici ſucceſſu, in ipſo jam limine te Lector monui.

§. 4.

VERTITVR IN LINGVAM GALLICAM.

OBſtrepebant, ſcio, Libellis noſtris triumphales acclamationes Bajo-Janſeniſtarum; imo quaſi ad inconditos clamores ſoli ipſi non ſufficerent, in ſubſidium niſi mulierculas turpiter advocare placuiſſet Gabriëliano inſtinctui. In harum gratiam, neſcio quis, ipſe fortè Auctor, certè aliquis Bajo-Janſeniſta ſecundam hanc & Romanam Editionem Gallico donavit idiomatè; ut patrio loquens ſermone liber à pluribus avidius legeretur, tantoque periculoſius tanto virus ſpargeretur, quanto incautiores manus ac molliores ſubiret; quamquam jam callum molliuſculæ illæ manus obduxiſſe videri poterant, ut quæ teſtamento Montenſi toties damnato jam dudùm ſine ſcrupulo aſſueverant.

Profecto, ſi hic Jocari mihi luberet, ad Poëticas fabulas diverterem & librum hunc malè ominatum temulento Deo libero compararem; & habet certè id cum Baccho commune, quod bis uterque genitus, medio ſemiuſtulatus ex fulmine, uterque ſit raptus; nec deëſſe poſſent hic Bacchides, ubi tot mulierculæ libro Gabriëliano quaſi

thyrſo

thyrſo armatæ toto paſſim Belgio inſanire, & orgia celebrare viſæ ſunt; at res ſeria nimis ac luctuoſa eſt, quam ut jocos patiatur; & jam dudum defleverunt boni omnes perditam iſtiuſmodi hominum conſuetudinem, qua fœmineo ſexui nimium familiares plures fere diſcipulas, quam diſcipulos numerent, quas, quà voce, quà libris, incautas miſereque deceptas damnato Bajaniſmi & Janſeniſmi ſpiritu periculosè imbuant. Sunt qui illud commercium, iſta cum mulierculis conventicula, & ſubtiles nimium de abſtruſiſſimis Theologiæ myſteriis cum iis collocutiones ſuſpectas habeant, &, ut timidæ ſunt piæ conſcientiæ, aliquando vereri incipiant, ne dum multa de gratia victrice potenter alliciente, & ſuaviter neceſſitante diſputant, media interveniat concupiſcentia victrix: proh! quid tunc remedii à Janſeniano hoc Magiſtro exſpectes? cujus hoc primum pronunciatum eſt *reſiſti concupiſcentiæ victrici non poteſt, parere neceſſe eſt*. Hoc alii; volo ego honeſtiora cogitare, & ita interpretabor, Magiſtros novaturientes imbecilliora, & quæ facilius fallantur, cerebella eligere, in quæ virulentas ſuas opiniones citius diffundant: quamquam dum ita honeſtiores volo, parum abeſt quin hæreticos faciam: vide quam periculosè navigent, qui ſatis è Charybdi eripi non poſſunt, quin ad Scyllam allidantur. Ut ut eſt, ego ad propoſitum meum redeo, & libri Gabriëliani hiſtoriam perficio.

§. 5. DE-

§. 5.

DECRETORIA S. R. INQUISItionis Mandato Pontificio in ſecundam & correctam editionem ſententia.

HAbitabat in Academicorum pulpitis latinus, in mulierculatum manibus gallicus liber, & utrobique triumphabat, quando ecce Romæ, ipſo Authoris in conſpectû, & juſſu Pontificio, à Sacra & Romana Card. Congregat. tertiam accipit plagam, eamque ita fatalem, ut ſine ulteriori ulla ſpe acta de eo prorſus, & deſperata ſint omnia. Primum, quod Romæ item acceperat, vulnus impetratâ denuo editione alterâ quaſi coïerat levi tantum ſui relictâ cicatrice: alterum à Toletanis inflictum, veluti ſummam tantum cutem raſiſſet, neglexerant, ut vidimus, & diſſimulato animi dolore exploſerant: at letiferum denique & mortale repetito ictu jam Roma inflixerat, & fortiùs ſagittam librarat & certiùs, quam ut à cavillatoribus declinari, aut objecto clypeo retundi poſſet; propptereà quod potens illa errorisque neſcia Apoſtolica manus & rexiſſet impetum, & dediſſet; nec premi poterat læſi animi dolor, tantò enim præſentem Authorem cruciabat acerbius, quantò propius læſerat. Infelix mehercule partus, ut quem non Synodales illæ, ſi Superis placet, pſeudo-

pſeudo-conventus vel Synodi Racematoriæ laudes, de quibus mox ; non modeſtior, & diabolicæ expers fuliginis frons ; non oſtentata & promiſſa ipſa in fronte correctio ; non aucta per novos honorum titulos Authoris dignitas ; non ſubdolè emendicata Magiſtri S. Pal. approbatio ; non ipſa denique tam ſollicita præſentis, & coram omnia anxiè circumſpicientis pro fœtu ſuo Patris cura calamitati tantæ, ac tali ſubtrahere ſatis potuere : nam quid denique bone Pater poſt tot præſertim, tamq́ue triumphales rumores aut potius plauſus de libro tuo Romæ jam recens excuſo, & Romæ (ita loquebantur) approbato, toto ubiq́ue Belgio, & conſcio te, & Auctore excitatos aut neglexiſti agere, aut prætermiſiſti ? longè ſit à me, ut vana ſtudia hominis probem : vidiſſes virum Romæ laboris indefeſſum per fora, per compita curſitare, Quirini collem conſcendere, Principum Palatia frequentare, implorare amicos, Eminentiſſimis ſupplicare, in omnem denique, ut res, ut locus, ut tempus, ut perſonæ ferebant, formam ſe faciemq́ue vertere, & omnium, ut maximè poterat, favorem benevolentiamq́ue aucupari. Quo quidem tam impenſo ſtudio aliud profectò effectum eſt nihil, niſi ut eo certius veritas, eo triumpharet glorioſius, quo ſtudioſius contra eam, & cautius color aliquis, & fucus quærebatur, & eò etiam vulnus penetraret altius, quo obnixo fortius corpore vulneri ipſi pertinacius reſiſtebatur. Nunc ipſum Decretum videamus.

Feria 5. die 2. Septembris 1683.

S*Ácra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum DD. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum habita in Palatio Apoſtolico apud Montem Quirinalem poſt examen Theologorum ſpecialiter ad hoc deputatorum, ac prævié relatis Sanctitati Suæ Eminentiſſimorum votis, & Theologorum cenſuris, de Mandato Sanctiſſimi D. N.* Innocentii *Papæ* XI. *prohibuit, ac præſenti Decreto damnat, & prohibet infraſcriptos Libros, ubicumque, & quocumque idiomate aut verſione hucuſque impreſſos, aut in poſterum imprimendos, ne quis cujuſcumque ſit ſtatus, & conditionis eos ullo modo imprimere, aut imprimi facere audeat ſub quocumque prætextu, neque impreſſos apud ſe retinere, aut legere licitè valeat, ſed ipſos Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu tradere ac conſignare teneatur, ſub pænis in Indice Librorum prohibitorum contentis.*

LIBRI SUNT:

Specimina Moralia P. F. Ægidii Gabriëlis *Leodienſis in Alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Licentiati, Tertii Ordinis S. Franciſci Studiorum Regentis Generalis, Definitoris Generalis Apoſtolici, & per Belgium Commiſſarii,*

Editio

Editio ſecunda ab Authore correcta & aucta. Romæ typis Franciſci Tizzoni anno 1680.

Les Eſſais de la Theologie Morale par le R. P. Giles de Gabriël, *Licentié de l'Univerſité de Louvain, Preſtre Religieux du Tiers Ordre de S. François, Definiteur General & Commiſſaire Apoſtolique dans les Païs-bas, troiſiéme Edition, reveüe, corrigée & augmentée : ſuivant l'Original imprimé à Rome chez François Tizzoni l'année* 1680. *avec la permiſsion du Maître du Sacré Palais.*

Atque hic terminum hiſtoriæ figo, nec ulterius quid addo; non enim generoſi animi eſt in cadaver impetum facere. Sed faciant utinam ſuperi, ita hoc cadaver in cineres abeat, ut nullæ uſpiam reliquiæ alicujus manibus adhæreſcant; at timendum potiſſimum eſt de iis, in quarum gratiam Gallicè loquebantur Specimina Gabriëliana. Optarem hanc quoque iis gratiam fieri, ut Decretum etiam Romanum in linguam Gallicam verteretur; quod quidem uti alii facere omnes ex Chriſtiana charitate poſſunt, ita certe ex Chriſtiana juſtitia deberet is mulierculis alexipharmacum præbere, qui primus iis venenum miſcuit; ſed heu quam vereor, ne hæc tam Chriſtianè monentis verba in Janſenianas aures incidant, hoc eſt in ventos inutiliter nec ſine ſibilo abeant.

inter alia ita de Gabriëliano fœtu, qui RECENTER eo ipſo anno NATUS adhuc in cunis jacebat, ita Synodali ſupercilio definivit; *Vin' ſcire, ubi moralem Chriſtianam non ſomniarit, ſed certiſſimam hauſerit P. Gabriëlis? replico in crebra* JESU CHRISTI *Evangelii meditatione.* Quid illuſtrius ad laudem, quid dici ſanctius poteſt?

D. Bonaventura, Thomæ Aquinati familiariter, & curioſè, ut fit, de libris inquirenti, unde cæleſtem illam rerum divinarum ſcientiam hauſiſſet, renidenti vultu, en tibi, dixit meum, mi THOMA, librum, protensâque manu piam CHRISTI ſervatoris è cruce pendentis imaginem oſtendit. Quid ipſe THOMAS? divinum ſcilicet è ſacro Chriſti ipſius ore hoc de ſcriptis ſuis judicium audire meruit *benè ſcripſiſti de me Thoma*; veniat nobis hos inter ſanctos medius P. Gabriëlis, & tertium de ipſo legant poſteri exemplum, ut qui *moralem* ſuam *Chriſtianam certiſſimam hauſerit in crebra* JESU CHRISTI *Evangelii meditatione.*

Mirari herculè ſatis nequeo, quid fuerit, cur, cum ſuum Romæ librum recuderet, & omnia caute corraderet, quæ ad ejus commendationem videri poterant peropportuna, Synodale hoc Decretum majuſculis impreſſum literis ipſa libri in fronte primis lectorum oculis non objecerit; atqui ſi id feciſſet ſperare utique felicius cauſæ ſuæ patrocinium licuiſſet, & certè poterat ſui S. P. Franciſci meminiſſe, de quo ita legimus, cum religionis à ſe Deo auſpice inſtitutæ confirmationem apud Sedem Apoſtolicam urgeret re-

repugnantibus è ſacro Cardinalium cœtu non paucis, unus demum inventus eſt, qui cauſam piè ſuſciperet, & quo demum uſus argumento? videte, inquit, ne Sacrum Jesu Christi Evangelium impugnetis, impugnabitis autem, ſi hanc ex eo depromptam, hauſtamquè regulam rejiciatis. Dixerat, & hoc uno cauſam feliciter confecit.

O te rerum tuarum incurium nimis Ægidi; una hac decretoria Lovanienſium Racematorum definitione rem conficere totam potuiſti ne hâc una te Toletanis Romaniſque Cenſuris ſubducere? hanc unam tot in te evibrandis fulminibus ſic quaſi laurum objicere? Videte etiam atque etiam,& pro rei gravitate ſerio attendite,ne S. Jesu Christi Evangelium ſacrilegè impugnetis,è quo tamquam ſanctiſſimo fonte puriſſimi inſtar ac lympidiſſimi rivuli exclamas Moralis mea Chriſtiana effluxit. Hoc unum Toleti tu, hoc Romæ ſi aut dixiſſes ipſe, aut dici curaſſes, quemquam è Patribus profligatum adeo, ac perditum futurum fuiſſe credas, qui Sacrum Jesu Christi non reveritus Evangelium, Moralem tuam non dico proſcribere, ſed hiſcere contra fuiſſet auſus, aut confuſo etiam murmure obmutire. Obſecro enim, cui vel ſola Sacroſancti Evangelii mentio, ſi Chriſtianus ſit quidem, non occludat os? at ſcio,quid ages? prævertere telum neglexiſti, emiſſum jam, ſi potes, excuties, ut facilius ita ipſi vulneri medearis, ſi prius telum extraxeris; atque ita tu tecum, aut, ſi mavis, cum cariſſimo ingenii tui fætu jam ter fulminato: Pupugit te ſuis ſcrupulis

lis moleſtus iſte Cornelius; at mulſerunt Racematores, caſtigavit illuſtriſſimus Cancellarius, at blandiente lingua lamberunt vulnera Racematores: Roma ut errorum ream proſcribit: at proſcriptam ambabus ulnis Racematores excipiunt: Toletum Bajaniſmi & Janſeniſmi condemnat, at Racematores abſolvunt: Roma iterum æternis addicit tenebris, at Sanctis Evangelii JESU CHRISTI radiis te Racematores illuſtrant: ipſe denique Pontifex Maximus hortator contra te, ac juſſor Romanam Congregationem Mandato Apoſtolico in tuam perniciem armat; at ſuos habet Patres conſcriptos, quos in tui defenſionem conjuratos illuſtri iſti tui præconio juſſit ſubſcribi ipſe conciliabuli Racematorii magni nominis Præſes: At heus! quin tu Præſidem illum aperte nominas? latere, ſcio, vult; imo, quæ ejus eſt humilitas, Eximius ipſe cum ſit ſub tribus literis S.T.B. hoc eſt Sacræ Theologiæ Baccalaureo deliteſcere; at neſcis hoc humilitati deberi, ut latere ipſa cum velit, latere tamen non permittatur: tuque adeò nomen expedi, ut virum & iſtius Synodi Præſidem ſuſpiciamus, quem cum ipſo Sanctiſſimo Domino conferre videbaris; quod quamquam vel ipſo auditu horrendum eſt, non alienum tamen ab iis, qui, nequidquam toties fulminante ex arce Vaticana Romanæ Eccleſiæ Sede Apoſtolica, damnatis Baji Janſeniique placitis mordicus ita adhuc & tam aperte adhærent. Quid enim hoc niſi ipſis Pontificibus Bajum, nefas! Janſeniumque præferre? Tu autem quid hæres aut dubius animi pendes? dic, ſodes,

dic apertè eſſe *Ex. D. Gummarum Huyghens*, in cujus gratiam congregatam Synodum ſcimus, quam quidem nos Racematoriam, alii calumniatoriam vocant, nomine paululum honeſtiore, quam quo antiqua illa Epheſina latrocinalis dicta eſt.

Pæniteat interim ac pudeat, tam Racematorii cœtus præſidem quàm reliquos ſub hoc præſide convocatos Patres, ſui de libro Gabriëliano editi Judicii, & vel ex hoc uno videant Romano quam careant cerebro. Ego felicem ſortem æſtimo *D. Nicolai du Bois*, eique congratulor, quod gravibus calumniis dicto à cœtu vel pſeudo-Synodo impetitus ſit interim dum, ſuis cum operibus, probis Eruditiſque à Viris, ſummo in pretio ac honore habetur, Theologus & Canoniſta certè inter præcipuos: contra quam *P. Gabriëlis*, qui mea Brabantiæ Cancellarii operâ ſcriptoque Sanctæ Sedi oblatus, ab eadem damnatus eſt; in tantum ut ejus cum doctrina liber omnium ex oculis & manibus eliminatus ſit. Quare non video cur *D. du Bois* Apologiis ulterioribus tempus ac chartam terat, dum Romana in *Patrem Gabriëlis* Cenſura pro omni illi Apologia eſt. Obtrectent Racematorii Patres: non poteſt non eſſe honeſta calumnia, ubi tam probroſa eſt laus. Ab improbis laudari probis ſummum improperium eſt, uti ècontra ab illis vilipendi, maximum honoris encomium. Idque Romani Philoſophi eſt Judicium, dum dixit: *diſplicere malis laudari eſt.*

§. 7. *SVIS*

§. 7.

SVIS IPSIVS VERBIS ERVDITISſimus Pater ſui nunc officii amicè monetur.

HActenus de te, Eruditiſſime Pater; ſi ferventius, quam tu voluiſſes, aut ego pro genio meo, ætate, & dignitate, zelo imputa non minori in me pro cauſa bona, quam eluxit in te pro non bona. Nunc autem non de te, ſed tecum mihi res erit, pace tua, ſed breviter, & amicè. Ita enim mihi tecum convênit, & jam inde ab initio capitis ad hoc colloquium tu à me invitatus es, & ego anhelus aſpiravi: venio ergo, & horâ condictâ adſum, nec te ſollicitet meus adventus, adſum tibi non unguïs futurus in ulcere, ſed pius monitor & hortator Chriſtianus, & ſanè monitoribus iſtis tempus eget. Quo autem mitius fiant omnia, & majori cum pondere, tuis te verbis potius, quam meis, monere placuit, ita enim natura comparatum eſt, ut & auribus noſtra æquioribus, quam aliena excipiamus, & corrigi ſæpè nos facilè pateremur, ſi id ſponte potius noſtra, quam alieno fieri impulſu videri poſſit, & habes id commodi, Pater, ut, ſi à Bajo-Janſeniana factione, ſaniori demum mente, Catholicorum te in Caſtra receperis, non id coactus ab aliis, ſed tuo ipſius inductus conſilio feciſſe videare: nam cujus, obſecro, hæc eſt ad S. D. N. Beatæ Memoriæ CLEMENTEM X. tam Catholica vox? *Ecce, Sanctiſſime Pater, pedibus tuis venerabundi advolvimur, & à nutu*

tuo toti pendemus. Quidquid à nobis aut hinc probatum eſt, aut illinc improbatum, Apoſtolatui tuo ſubjicimus; jube nos (ignoſce fiducialiter loquentibus, Sacramenti enim religio ac ſalus populi urget nos) jube corrigere, ſi quid malè ſive probemus ſive improbemus: quidquid juſſeris nihil reſiſtimus; obedientiam, quam tibi multiplici Sacramento debemus, quamque ſemper religiosè obſervavimus, & nunc OPERE *manifeſtabimus. Minus nobis operoſum erit probato à nobis rigori aliquid detrahere,* ATQUE HUMANÆ INFIRMITATI BENIGNIOREM (*ut vocant*) EX TUO DECRETO OPINIONEM ASSUMERE; *neque id ingratum accidet, quoniam & Deum id quoque concedere hinc cognoſcemus.* Cujus inquam hæc vox eſt? certe tua, mi Pater, & agnoſcis, opinor, adhuc tuam, certè debes; & ego eam ex nuncupatoria tua ad CLEMENTEM epiſtola fideliter deſcripſi, qua ſanctiſſimo ejus nomini tuam inſcribis de Sacramento Pænitentiæ Theologicam Theſim anni 1676. & tu negare non potes, his ipſis enim verbis cum ſchola tua univerſa ſubſcriptus ità legeris *Sanctitatis tuæ humillimus ac obſervantiſſimus filius Frater Ægidius Gabriëlis ſuo, & Scholæ ſuæ Theologicæ nomine.*

Vides ut Amicè nunc agam? non iſtius Theſeos probra in medium profero, nec eam defendi prohibitam dico à Brabantino Concilio, nec te furtim Diſtemium fugientem inſequor & prohibitis mercibus manus injicio; omnium poſſum oblviſci, dum te Apoſtolicæ Sedi ſupplicem ex ejus nutu Chriſtianè pendentem intueor: nam hac quidem

in-

indole amo te, & hunc tuum animum vel in adverſario ſemper laudavi, & bona erectus ſpe depoſitum nondum aut deſperatum te putavi ægrum, qui tam ſanè & Catholicè loquereris, ſi ſerio tamen, ſi ſine ullo fuco loqueris, ſi ita, ut loqueris reipſa ſentis: atqui in eum veniſti jam rerum articulum, ut diſſimulare ultra non poſſis, ſed aut ſua verbis fides ſit præſtanda, aut manifeſtè fatendum fictis fucatiſque verbis Pontificiæ Sanctitati ludos feciſſe; nam tertiam quidem, qua elabaris, viam præcludit ipſa tua illa vox aut Catholici animi vera teſtis, aut animi Janſeniani mentita larva; felicem te! qui ad ſaniorem frugem redeundi ſalutarem adeo neceſſitatem tibi tu ipſe injeciſti; quid enim ais? pulchriora enim ſunt illa verba, quam ut ſemel tantum audiantur. *Ecce*, SANCTISSIME PATER, *pedibus tuis venerabundi advolvimur*; pium me-herculè ſpectaculum, & cujus ſpectatores velim Lovanienſes quoſdam, nec otioſos ſpectatores, ſed æmulos velim & imitatores; *& à* NUTU *tuo toti pendemus*; quid ſanctius dici poſſit aut magis Catholicum? *quidquid à nobis aut hinc*, puta in morali Chriſtiana & tutiore, *probatum eſt, aut illinc*, in morali diabolica & laxiore, *improbatum, Apoſtolatui tuo ſubjicimus*; quid autem poſtea? *jube nos, jube corrigere, ſi quid malè, ſive probemus, ſive improbemus: quidquid juſſeris nihil reſiſtimus*, id quidem primum eſt non reſiſtere; quid præterea? *obedientiam quam tibi multiplici Sacramento debemus*; optimè: nam plena poteſt ſperari ſolutio, ubi debitum tam

 exactè

exactè agnoſcitur; *quamque ſemper religiosè obſervavimus,* utinam quidem! & nunc OPERE *manifeſtabimus*: id vero ipſum eſt, quod tuis abs te verbis hodiè efflagito; tu perge porro, nolim enim te pluribus tam Chriſtianè diſſerentem interrumpere. *Minus nobis operoſum erit probato à nobis rigori aliquid detrahere, atque humanæ infirmitati benigniorem (ut vocant) ex tuo Decreto opinionem aſſumere; neque id ingratum accidet, quoniam & Deum id quoque concedere hinc cognoſcemus*; ità qui ſentis, verè te ſubſcribis *obſervantiſſimum Sanctitatis ejus filium*: verumtamen hactenus hæc, mi Pater, verba ſunt; aurea illa quidem & Catholicorum omnium vocibus deprædicanda, & præ quibus, me quidem judice, ſcripta tua ſordent omnia, ſed verba tamen; ad rem denique veniendum eſt. Ecce Sanctiſſimus Pater non quidem CLEMENS X. ad quem ſcribis, ſed INNOCENTIUS XI. nam id quidem nihil tua intereſt, qui non hominem in *Clemente*, ſed JESU CHRISTI Vicarium alloquebare; ecce Mandatum dedit Apoſtolicum, tu qui *à nutu ejus totus pendes* ipſo imperante quid agis? Ecce Moralem tuam non *corrigi jubet*, ſed penitus tolli; cave *reſiſtas*, *obedientiam opere manifeſta*, nec *operoſum ſit probato à vobis rigori aliquid detrahere, atque humanæ infirmitati benigniorem opinionem aßumere*; & læto & hilari vultu *aſſume*, ne *ingratum id accidiſſe* putemus, *quoniam & Deum id quoque concedere hinc cognoviſti.* Viden ut propoſiti mei memor non Toletanorum PP. non Romanorum autoritate

ritate pugnem, non Catholicis eorum Cenſuris te convincam, non ipſo denique Mandato Pontificio nolentem te cogam, ſed amicus hortator tuis te verbis monitum veniam: at profectò non idcircò languidiuſcula, aut frigidula debet videri monitio, imo neſcio an non tantò ſit habenda potentior: nam ſi meis inſtarem verbis, urgere fortiter dicerer, nunc quia tuis tecum verbis pugno jure quodam exigere videor; quæ enim juſtior ſit aut repulſæ ſecurior poſtulatio, quam ubi aliud petitur nihil, niſi ut nullo famæ diſpendio, ſumma nominis tui gloria, tuis tute verbis, quam debes, fidem præſtes: erraſti & Janſenianis deluſus ideis cecidiſti; quid tum? humanum eſt cadere, at nolle ſurgere, id denique *moralis* eſt verè *diabolicæ*; & vero poteris, ſi me, imo poteris, ſi teipſum audis, ità tibi ſurgere glorioſum cenſere, ut vix probroſum videatur cecidiſſe: nec aliis hic profectò opus eſt ducibus, quos pænitentes imitere, quam quos errantes ſecutus es. Petrus D'Oſma, Michaël Bajus nota tibi & magiſtralia nomina, illuſtri obſervantiæ ac Religionis exemplo præivere: & Bajum quidem tanti nominis Doctorem, & Univerſitatis Lovanienſis eo tempore Cancellarium, raro pietatis humilitatiſque ſpectaculo frequentiſſimo Academicorum conſeſſu errores publice ſuos ejurantem Schola Theologica (tam Chriſtianam ſui victoriam viro gratulata) admirabunda audivit; nec ſatis; ne muris Lovanienſibus hæc tanti facti celebritas concluderetur, & ad exteros etiam, & æternam poſterorum memo-

riam pertineret, ſcripto quoque fidele revocati in melius animi teſtimonium conſignavit.

Macte animis, Erudiriſſimè Pater ad hæc manus exempla poſcuntur tuæ; Chriſtianam Pœnitentis Baji religiosè æmulatus humilitatem, verè nec inani nomine Humillimi *Franciſci* de Pœnitentia Religioſum te profitere; idque adeo ut facias, vires fac animi omnes intendas, & ex Toletana Cenſura, ex Romanis Decretis, ex Mandato Apoſtolico, ex tuis ipſius ad Pontificem Maximum verbis, ex tam male ominata Moralis tuæ, ſive Chriſtianam, ſive tutiorem vocares, fortunâ, claram tui tot jam ambuſti fulminibus, ac diſtinctam Ideam concipias: erit illa, mihi crede, ſanioris judicii & Catholicæ magis Theologiæ principium; nec glorioſiorem umquam tibi aut utiliorem animæ ideam habueris: & qui tunc bonorum omnium te amplexus, qui plauſus excipient? gratulabitur Belgium, laudabit Hiſpania, Roma probabit: nam ſi qui ex Bajo-Janſenianis tibi tamquam transfugæ oblatrent, iis tu, nil niſi *Auguſtinum* occlamantibus, *Auguſtini* verbis os occludes, & in has, in Prologo ad libros retractationum, voces cum glorioſo *Auguſtino* lætus erumpes: *qui primas non potuit ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ: ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, ſaltem pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuiſſe:* ita de ſe Hipponenſis Antiſtes, ita tu de te; ut adeo accuſare te poſſit nemo, niſi qui ante *Auguſtinum* condemnarit.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Libri GUMMARIANI & MACARIANI.

LIbrum Gabriëlianum ſuperiori capite non uno leviter oculo prætereuntium in morem, ſed fixo ſtudiosè obtutu diutius contemplati ſumus; & ita ſanè fieri debuit : quem enim ſic tamquam lydium lapidem nobis propoſuimus, ad cujus veluti attactum Gummari, Macariique Doctrinam non quidem probaremus ut aurum, ſed ut ſcoriam rejiceremus; ipſum profecto ante omnia & diligenter examinari decuit : atque illud inprimis ſollicitè fuit inquirendum, quam non exiguo à Catholico Romanæ Eccleſiæ ſenſu intervallo abeſſet Gabriëlis, ut quanto ad eum propius Gummarum, Macariumque acceſſiſſe videbimus, tanto longius à Pontifice & Eminentiſſimis Sacræ Romanæ Inquiſitionis Cardinalibus utrumque receſſiſſe intelligamus.

Id autem toto deinceps libro acturi plenius, virum utrumquè hoc capite conveniam & utriuſquè ſcripta prævio examine breviter diſcutiam, ut agnito jam prioris capitis beneficio, libro Gabriëliano, cum quo facienda collatio,

eos ipſos, qui conferendi ſunt, incipiamus agnoſcere. Et primus quidem nobis veniat D. Gummarus: neque enim inurbanus ità ſim, ut primo in limine omne humanitatis officium exuiſſe videar: habebo, quam debeo, dignitatis majoris rationem, & occurentibus mihi Eximio & Eruditiſſimo, Virum Eximium prius ſalutabo.

PRIMUS ARTICULUS *Libri* GUMMARIANI.

NAm quid ais, Eximie Gummare, libri Gabriëliani hiſtoriam legiſti? ſed num ſatis etiam attentè? nec illud legenti aliquando occurrit, parum abeſt, & mutato nomine hæc de me fabula narratur: ſed quid ego quid ajas quæro, & non potius quid agas? nam dum vicina domus, & prorſus contigua fulmine tacta eſt, & jam tota in flammas, & cineres abit; tu domi tuæ ſecurè ſatis habitare te credas, & otiosè iſtic ſedeas? quid? tuo pariete ex vicino incendio jam rimas agente, non tempus adhuc credis, ut vaſa cito colligas, & periculoſa adeò è vicinia commigres? quid autem capite abnuis? quod Patri Gabriëlis te vicinum dixerim? rectè monuiſti, erravi imprudens; nam qui iiſdem inniteris fundamentis eodem ambulas pavimento, iiſdem circumſcriberis parietibus, eâdem promis ex cavea, non vicinus me-herculè, ſed domeſticus & ſub eodem tecto habitare dicendus es; do-

domeſticum te ergo impoſterum dicam, quando ita vis, vicinum negabo : ſed hoc nomine tantò à me monendus es ſollicitius, quanto propius malum eſt. Hæc habe pro primo congreſſu, reliqua poſtea, nam ſæpius à me eris inviſendus, & nunc exſpectat me Lector, de tuis libris cum otio edocendus : non eſt tamen cur abſcedas longius, nam ubi de libris agitur, importuna ipſius Authoris, nec poteſt, nec debet eſſe præſentia.

§. 1.

METHODVS REMITTENDI & retinendi peccata, &c.

ANno itaque 1674. in lucem prodiit Methodus Gummariana remittendi & retinendi peccata : quamquam quid dico in lucem prodiiſſe ? non eſt hæc apta de ſole oriente locutio, & non obſcurè *Franciſcus van Vianen*, *D. Gummari*, quod nec ipſe neget, verè domeſticus, librum hunc viſus eſt *Solem* dicere, dum anno 1676. die 13. Januarii Theſi 3. ita loquitur : *In* SOLEM *ſanè obloqui deprehenduntur qui obſtrepunt Doctrinæ* S. Caroli, *quam, ut brevitatis cauſa hic propugnemus*, METHODUM REMITTENDI ET RETINENDI PECCATA, *ex Inſtructione Paſtorali deductam habemus velut expreſſam*, ubi eum vides ita Doctrinam S. Caroli *Soli* comparare, ut radios

ejus tamen aliquos deductæ ex ea (ut ipſe quidem ait, nos negamus,) Methodo non avarè communicet: quod quidem ſi ſatis eſſe negas, ut illuſtri Solis ſplendeat nomine; non magnoperè repugnabo,& dictionem paululum temperabo meam: nec *Solem* jam dicam, quod ſatis eſt, quem ſolaribus malè radiis circumdatum video; Phaëtonta dicam. At at videat *Gummarus*, ne plùs aliquid, quam nomen à Phaëtonte mutuetur ejus Methodus, & fato Phaëtonteo felicius nihil habeat, quam ortum; ego, ut de me candidè fatear, male herclè metuo, ne in quorum manus noſter hic Phaëton umquam ceciderit, æthiopes faciat. Hæc joco, inquies; verumtamen *ridendo dicere verum quis vetat?* Sunt qui Gummarianum hunc librum, uno ante Gabriëlianum anno protruſum, fratrem ejus dicant natu majorem; repugnant alii, & diverſis ortos Parentibus ſic fratres negant, ut communibus tamen avis, proaviſque progenitos conſanguineos fateantur; lis exigua admodum, nec difficulter me quidem arbitro ita componenda, ut, quos duo genuerint Patres, una verò & communis ambobus Parens novaturiens Doctrina pepererit, fratres germanos neges, uterinos dicas: ut ut eſt, quod mihi ad propoſitum ſufficit, ſimiles eos valde & conſanguineos eſſe neceſſe eſt, qui in fraternitatis etiam ſuſpicionem veniunt.

Nec totus uno partu eſt editus, ſed per partes hiulcum opus prodiit: tractatus quatuor Author conceperat duos

ve-

veluti per abortum enixus eſt, quos paulo poſt ſecutus eſt tertius, cum quibus ut in unum corpus coaleſceret, priores duo eodem prælo ſimul recuſi ſunt. Quartus poſt tot conceptionis annos nondum ſat lucis patiens adhuc exſpectatur; avertant omen ſuperi! grande aliquod monſtrum tam diuturna & portentoſa parturitio portendit.

Impugnavit tractatus ſingulos Antiquæ Eccleſiæ praxeos tam retinens propugnator, quam acer novitiæ Methodi adverſarius *Franciſcus Carolus Reymakers*, & jam priores duos ante proſtraverat, quam tertius prodiret; & id cauſæ fuiſſe ſuſpicor, cur, & priores duo ſecundis uno eodemque anno typis iteratò ederentur, ut ita videlicet ſtare iterum, & à lapſu ſuo ſurrexiſſe credi poſſent; & tertius priorum ſorte merito territus tam periculoſam lucem ſubire recuſaret, niſi longior ſibi ab Autore, Apologetica Præfatio aſſidua quaſi cuſtos & defenſatrix præmitteretur.

At non diu profuit tam imbelle patrocinium, ipſa cum cliente ſuo ab eodem adverſario victa eſt fugataque defenſatrix, donec tandem latura ſuppetias nova jam & grandior D. Gummari pro Methodo Apologia in arenam deſcendit; ſed heu miſeram! in victrices hactenus cecidit manus; vin luctæ eventum? campo adhuc hoſtis potitur, ictum accepit illa ultimum, nec referre in hoſtem potuit.

Nec ſolus hanc tantæ laudis aleam *Franciſcus Carolus Reymakers* ſubivit, voluit glorioſæ pugnæ ſocius eſſe inſignis in ipſa Urbe Lovanienſi Profeſſor, qui ſi non fortius, feli-

cius certè pugnavit & novitiæ Methodo praxim objecit adeò ſolidam, ut eam convellere *Gummarus* & labefactare hactenus ne tentarit quidem.

Nec poſſum hic tacitus prætertire Adolphi Godefridi Voluſii S.T.D. & Archiëpiſcopalis librorum Moguntiæ Cenſoris de hoc libro judicium: ità enim ait: *prodiit*, inquit, *Methodus* &c. *quod ſcriptum in frontiſpicio Angelici Doctoris effigiem, in ipſo contextu autem* & ipſo præfationis initio, *ſententiam S. Caroli Boromæi præ ſe ferebat: ſed in utroque fallit, & in cenſum eorum Scriptorum omninò eſt referendum, quo ob ſuam novitatem geminis Fidei Caholicæ cultoribus ſuſpecta eſſe debent. Sanè hæc Methodus à Doctrinâ Divi Aquinatis non minus, quam à praxi Sanctiſſimi Mediolanenſium Archi-Præſulis magno diſtat intervallo.* Hic tu Lector conſidera quam ſincerè erudiendus ſis ab eo libro, qui ipſo bis turpiter te fallit in limine. Nunc ex eodem habe ſcopum, in quem collimat, ita enim proſequitur: *Si vero ſcopum hujus novitiæ Methodi penitius introſpiciamus non aliò collimat, quam ut Sacramentum Pœnitentiæ carnalibus jam alias tantopere inviſum, magis reddat exoſum & tantum non praxi adynaton* Et paulò poſt per eam alios *in deſperationis barathrum, alios in impietatis præcipitium* agendos præmonet; horres terminum? Viam ne ingredere.

Huic tanti viri judicio, ne nihil dicat, ſuum Laurentium Neeſen, ſcio, objiciet, & ſingulare ejus ſuæ

Me-

Methodi præconium. Nolo virum viro conferre, nec illud jam dico, quod jam ante me obſervarunt alii, non ſingulis Gummarianæ Methodi apicibus ipſum Laurentium ſuis in libris ſubſcribere; hoc dico ridiculè ad alienam domum ornandam adhibetur is, qui domi ſuæ habet, quod purget.

§. 2.

METHODUS A RACEMATORIbus defenditur, ab Inquiſitione Toletana damnatur; deque Gallica Methodi verſione.

DUm alii calamos, ut vidimus, in recentem Methodum acuebant, verbis eam pupugit in ſuis lectionibus Erud. *D. du Bois*, &, ſi gravitatem vulnerum ex eorumdem cruciatu & dolore metiri liceat, non levia certè inflicta ſunt vulnera; quorum is fuit dolor, qui in furorem propè excreverit: nec levis is furor fuit, qui in tot calumnias foras prorupit; nec brevis, qui tribus hebdomadibus tenuit. Ignoſcant mihi Racematores ſi duriuſculo furoris verbo ſim uſus, poterit ea ipſa vox non parum eorum cauſæ conſulere, quæ ad obtinendam facilius veniam faciat: quæ enim in ſano & ſibi præſente convicia non feramus etiam rogati, in furente ultro excùſamus:

ſic neque mirabimur, qui mentis ſatis compotes ipſi non erant, tam alienum à mente Catholica de libro Gabriëliano; quale ſupra audivimus, judicium protuliſſe.

Neque mirere, Lector, iterum me hujus pſeudo-conciliabuli meminiſſe, ſuus eſt enim hic, & proprius Racematoriæ factionis locus; quando in gratiam Methodi congregata, & pro ea pertinacius quam honeſtius non interrupto certamine tribus hebdomalibus pugnavit.

Laudavit illa Methodum, & meram, putamque *S. Caroli* doctrinam eſſe definivit, ſed ut ſcias quam ſit in definiendo infallibilis Lovanienſis hæc Synodus, repete memoriâ, quam de Morali Gabriëliana ſententiam tulerit, dum eam ex Evangelio JESU CHRISTI hauſtam eſſe Synodaliter pronunciavit: ego certè has Methodo laudes non invideo, ſunt enim bene Catholici, qui ad Toletanas Romanaſque condemnationes præjudicium eſſe putant, à Racematoria Congregatione nimium laudari.

Et jam dudum me vocat Toletana Inquiſitio, non minus in Methodum, quam in Moralem Gabriëlianam ſevera Judex; & ego in hunc locum bipartitæ cenſuræ partem ultimam ſervavi: quotquot Magiſtri veſtri Eximii Gummari Methodum ſequimini, quâ par eſt reverentiâ, Commiſſarios Inquiſitores Apoſtolicos audite.

Nos

Nos los Inquiſidores Apoſtolicos ... mandamos ſe recojan y prohiban del todo *los Libros y Papeles ſiguentes:*

V*N Libro in Octavo coyo titulo es :* Specimina, &c. *Otro Libro en Octavo qui ſe intitula : Methodus remittendi & retinendi peccata &c. Auctore Gummaro Huyghens , Lyrano S. Th. Doctore in Academia Lovanienſi , Lovanii typis Hieronymi Nempæi 1674. por contener. propoſiçiones condenadas de Ianſenio , temerarias , y doctrina , que puede retraer à los Fieles del Sacramento de Pænitentia , y à los Confeſſores de que le adminiſtran : por tanto mandamos &c. Datum Toleti 28. Auguſti 1681. ſubſignatum erat ab Inquiſitoribus , & ſigillatum Sigillo S. Officii.*

At ſurdis lugubre canebat Hiſpania : ita, congeſtis undequaque & in Methodum laudibus , & in Toletanos Patres dicteriis , geminas ſimpliciorum aures oppleverant Bajo-Janſeniani & obſtiparant. Sed de his ſuperiori capite latius , ad quod Lectorem remitto. Fuit enim hæc plaga *D. Gummaro* ita cum *P. Gabriëlis* communis , ut uno uterque telo vulneratus , iiſdem uterque ſuo vulneri mederi herbis , & communibus ſumptibus voluerit.

Confidentior tamen *D. Gummarus* in Hiſpaniæ Inquiſitionem

ſitionem ſurrexit, & injurioſum, primo Theſibus ſuis, deinde compendio impertinens aſſuit: ſed bene; vindicavit læſum honorem, & pro ſui Regis Inquiſitione ſtetit in nuperis Theſibus *D. Nicolaus du Bois* Collegii Regii Præſes aliquanto magis Regius, quam Collegii Pontificii Præſes *Gummarus* Pontificius eſt.

Quid interim Phaëtonte noſtro? an non Phœbeo ex axe, inquo eum, ut vidimus *D. Van Viane* tam glorioſè collocavit, non quidem in Eridanum, ut ille in fabulis, ſed in Tagum cecidiſſe videri poteſt; addat ſuum fulmen Roma, nec erit Phaëtontei fati pars ulla, quam ipſe non ſubierit: & tendit quidem jam dudum ſupplices ad cælum manus nimio Janſeniani rigoris & amoris Bajani æſtu exſiccata propè, & arida terra noſtra Belgica; & poterit fortè moveri Roma, & compeſcere ignibus ignes: certè non eſt, quod ſibi plaudat, & multa polliceatur *D. Gummarus*, quod ſuâ Methodo indemni fulminata ſit Moralis Gabriëliana, quæ & turbarum minus in Belgio excitavit, & uno poſt methodum anno ſerius nata eſt; non eſt hic tam conſtans rerum ordo, ut circumſcripta æqualibus terminis vita omnibus fluat, & citius adeo nati perire citius debeant: nec inſolens id eſſe video inter fratres, ut junioris funus ſenior efferat, non minus ipſe tamen poſtea moriturus.

Nec dubium, quin hæc Toletana Cenſura Gallicam etiam Methodi Gummarianæ verſionem feriat, non in

idioma,

idioma, ſed in doctrinam ſententia lata eſt, nec amica adeò Hiſpanis lingua eſt Gallica, ut hinc commendationis aliquid aut patrocinii ſperare poſſent Propoſitiones in Janſenio condemnatæ, temerariæ, &c. heus tu autem *D. Gummare*, obſecro, quid liber tuus fœminea facit in manu? quid mulierculis cum *Methodo remittendi & retinendi peccata*? nere illæ diſcant, & humili, pro ſexu ſimplicitate ſua piè peccata confiteri. Nolo tamen hic ego iterùm periculoſam muliercularum mentionem pluribus protrahere, ſcio quam ægrè, quam non ſine aliqua Adverſariorum nota, nec levi nimiæ familiaritatis ſuſpicione ſuperiori capite me inde extricarim: quamquam in gratiam *D.Gummari* dicendum videretur aliquid: audio enim eum præcipuo quodam apud eas in pretio præ reliquis haberi, &, ut non omnibus data ſunt omnia, ſingulari præditum dexteritate in virginum potiſſimum conſcientiis dirigendis. Nota jam pridem eſt Lovanii Familia, in quam Monialium inſtar communiter victuræ non paucæ fœminæ aſſociatæ ſunt, vulgus Marollas vocat. Huic Familiæ & Confeſſarius eſt *D. Gummarus*, & Pater, & Tutor: & credo harum potiſſimum deſiderio conſuluiſſe, quiſquis ille fuit, qui à *Gummaro* conductus inutili ſanè & noxio labore Methodum in linguam Gallicam tranſtulit: noverant illæ ſcilicet jam ante famâ opuſculum, & ut avidè appeterent, & ſtultè deperirent, ſatis erat eſſe Gummarianum, & novo fortè egebant libro

ſpirituali religioſæ fœminæ. Ut ut eſt hac quoque parte ſimilis eſt Morali Gabriëlianæ, nec ſatis Ordinis in ſua Bibliotheca amans erit, qui alterum ab altero ſejungat, niſi fortaſſe medium interponat librum de frequenti Communione, unde uterque magna ſui parte depromptus eſt; ſic ut non male etiam Pariſianis typis prodeat Gallica Methodus, quando iis etiam excuſus eſt liber Gallicus, quem in Epitomen ipſa Methodus contraxit. Cæterum nolim Pariſiis naſci, & condemnari in Hiſpania.

§. 3.

THEOLOGIÆ COMPENDIUM, aliaque Theſes.

NOn habet hactenus *D. Gummarus* publicam in Scholis Academicis lectionem, ſaltem ſuo nomine: nam alienas quidem ſupplere vices ita frequenter audio, ut, alternas propè cum Principali ſuo Eximio *D. Franciſco van Viane* lectiones dividens, Profeſſor publicus credi poſſit: & ſanè periculoſas merces publicè qui vendit, ſuo id faciat, an alieno nomine, parùm fortaſſe ad rei ſummam, ad periculum certè nihil intereſt.

Habet tamen ſuam quoque domi ſuæ in Collegio Pontificio, cui præeſt, ſuarum mercium officinam, tantâ accurrentium undequaque emptorum frequentia, ut nihil

ſit

ſit, cur Academicam Cathedram affectet. Prodeunt ex hac Schola inflammati Diſcipuli, Bajo-Janſenianos, quos iſtic hauſerunt, ignes, veluti totidem ex æquo Trojano incendiarii, toto deinde Belgio ſparſuri. Nec indiligens Profeſſor Theſes Theologicas jam inde ab anno 1672. hebdomatim ſuſtinuit; & ne pretioſa adeò fragmenta perirent, in brevem collecta libellum ſex abhinc annis primò prodiere, deinde iteratis typis anno jam proximè elapſo nova editio auctior, non emendatior, in lucem data eſt, hoc inſignita titulo: *Compendium Theologiæ, id eſt Theſes ex Summa D. Thomæ hebdomadatim defenſæ ab anno* 1672. *uſque ad annum* 1684. *in Collegio Adriani VI. &c. Præſide Eximio D. Gummaro, &c. juxta copiam Theſium Lovanii typis Lipſianis impreſſarum.*

Scrupulum non immeritò movit hæc editio *D. Nicolao du Bois*, quem, quia paucis, & per brevem parentheſin ipſe explicat, longum non erit ejus verbis hic inſerere, *de hoc*, inquit in Theſi ſecunda Theologica, *Compendio quæro per parentheſim, quomodo ſine approbatione Cenſoris, abſque nomine Typographi, non ſervatâ formâ Tridentini Concilii, & edictorum Regiorum prodierit?* Digna ſanè librorum Cenſore, & pro officio ſuo hæc quæſtio eſt; tum ita pergit: *quomodo in frontiſpicio dicatur, juxta copiam Theſium Lovanii typis Lipſianis impreſſarum, quandoquidem in multis differat? niſi fortè hic ſit mirabilis reſtrictio. Theſes pro exercitio quidem intra Academiam*

Studioſis, Lectoribus, Profeſſoribus, Doctoribus communicandæ tantum, non autem promulgandæ ubique approbationem Cenſoris non requirunt; ſed liber conſtans 333. paginis in tenui caractere, Compendium Theologicum, potuitnè publicè, ſine approbatione & nomine Typographi, evulgari eo prætextu quod multa in eo ſint, quæ à duodecim annis & citra fuerunt in Theſibus expreſſa? an non hic magna laxitas? Hactenus ille

At non vidit omnia ſatis alioqui perſpicax D. Du Bois; nam illud potuiſſet addere, ex quo demum tempore Bajus Janſeniuſque Angelici Doctoris nomine veniant, ita enim damnata eorum ſcripta redolent, quæ ex hujus ſumma deprompta dicuntur, ut Theologiæ Bajo-Janſenianæ verius, quam Angelicæ compendium eſſe videatur: nec quia mole parvus eſt liber parum damni timendum eſt, ad magnum incendium parva ſcintilla eſt ſatis, & diſperſum grandiori in maſſa venenum, quo magis colligitur, hoc agit potentius.

At quid hæc ad me, fortaſſe inquies? in eum hæc dicta oportuit, qui nec ſciente me, nec Authore, Theſes meas in Theologicum compendium collectas typis edidit; reddat rationem facti, qui fecit; & ſcrupulos eximat, qui injecit. Verum ego ignotos non alloquor, & collector ille obſcurè nimium ſub his literis G. I. V. D. C. S.T.B. F. deliteſcit, quibus quidem è literis nihil certi intelligo, niſi eum S. Theologiæ Baccalaureum eſſe formatum,

quem,

quem, ſi divinare licet, non alium eſſe ſuſpicabor, quam qui ſub iiſdem literis S.T.B. Racematoriæ Synodi & apud Sylverium præco erat, & ipſo in conſeſſu fuerat Præſes; at is herculè ſi eſt, non malè te alloquebar, ita enim, ut ſupra vidimus, tibi ille intimus eſt, ut loqui tibi non poſſim, niſi ipſe audiat.

Neque hic locum obtinere poteſt frigidum tuum illud, quod 20. Auguſti anno 1682. concluſione prima cum P. Lemos garriebas, nihil ex Theſibus de ipſius Præſidis doctrina confici poſſe, propterea quod *juvenes multoties contra proprios Præſidentes oſtentationis ingenii gratiâ plura non vera defendunt*, nam præter ea, quæ hac ſuper re ſuis adverſus te Theſibus doctè diſſeruit R. P. Philippus de Vos, S. J. habe iſtud ex jure effatum, *illa noſtra facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur.* Deinde, ut alii id omnes dicerent, tu tamen negare deberes, qui ex Diſcipulorum Theſibus tuæ facis Theologiæ compendium: in hoc certè nomen Gummari Præſidis lego; defendentium non lego. An ergo derepentè doctrina in compendio tua eſt facta, quæ in Theſibus fuerat oſtentatio Diſcipulorum? at hoc non Diſcipulos docere, ſed ab iis doceri eſt.

Imo dum tuas toto Belgio Theſes, ut facis, diſſeminas ſparſis 1200. etiam Exemplaribus, id te credamus agere, ut omnes ubique intelligant, non quid tu doceas, ſed quæ, & quanta fuerit in defendente tuo ingenii oſtentatio. Ridi-

culum inventum, ac malignum! quo *plura non vera*, plura non Catholica *defendas*, Adverſarios turpiter calumnieris, quidquid lubuerit impunè effutias: nam ſi quis, cujus intereſt, hoc te nomine poſtulet, in promptu eſt defenſio: *juvenes multoties contra proprios Præſidentes oſtentationis ingenii gratiâ plura non vera defendunt*: nec cerebri hoc tui inventum eſt; didiciſti ab iis, qui cum deprompta fideliter, ac deſcripta è Lovanienſium Theſibus Specimina defendere Romæ ſatis non poſſent, id demum artificii fraudulenter excogitarunt, quo Romanas aures eluderent, illuſtriqúe adeo charitatis & juſtitiæ exemplo, ut reos Præſides abſolverent, in innocentes defendentium humeros culpam conjecerunt: at ita herculè qui agitis, quin & arte eadem, & operâ diſperſos paſſim in libellis veſtris errores Typographis affingitis?

Et verò novas continuo, & novas Theſes edere non ceſſat pruriens ejus ad ſcribendum manus, ſed eodem omnes odore perfuſas. His longas exhibet obſervationes ſuper 65. Propoſitiones ab INNOCENTIO XI. juſtiſſimè condemnatas: operosè hic ſudat, ut in earum Authores, originemqúe inquirat. Mallem herculè in quinque Propoſitiones Janſenii, & damnatos Baji articulos utiliorem commentarium ſcriberet, nec id tantum inquireret, qui primi earum Authores fuerint, quod manifeſtum eſt; ſed illud in primis, qui duræ adeo cervicis, & perfrictæ frontis hodiedum etiam inveniantur, qui ſub doloſo cinere

cinere Bajo-Janſenianum ignem novas agunt in flammas, fruſtra è colle Quirinali Apoſtolicâ Sede toties fulminante : nec longo aut labore aut itinere opus eſt, nec in ultimam uſque Thulen navigandum, habet, quos quærat, in Patria, imo domi ſuæ habet, quos inveniat.

Neque hic, Lector, conviciari me putes, quod Baji Janſeniique erroribus D.Gummarum videar aſpergere; gratificor homini, amat enim illa nomina, nedum his terretur aut offenditur vir intrepidus. Mihi non credis ? ipſum audi ? *Cum pueri* (inquit pertinente ad Theſes ſuas 3. Martii 1684.) *oſtendunt ſe noſſe, quod lemures nocturni ſint chimeræ, hi ultra non accerſuntur ad illorum terrorem. Quorſum igitur nunc iterum repetitur hoc toties detectum ſophiſma, ita Lutherus, ita Calvinus, &c.* Bajus, Janſenius, *ergo male, ergo hæreticè.* Audivi, qui, hoc pertinens cum legeret, Catholicam multorum indignationem feſtivo nec illepido, ſed juvenili epigrammate abſtergeret. Hoc autem à me huc tranſcribi ætas & dignitas non patitur. Atque adeò hæc ſatis, reſpiret nunc aliquantulum Eximius, ego interim ad Eruditiſſimum.

ARTICVLVS SECVNDVS

Libri MACARIANI.

IMpietatis quoddam genus jam inde ab antiquis temporibus creditum eſt, quietos mortuorum manes ſollicitare; & ut erat veterum Gentilium in rebus propè omnibus ſtulra nimium, & anilis, ut eam vocat Tullius, ſuperſtitio, ita nec in fabulis majorem, nec in hiſtoriis habemus, aut pluribus ceremoniis celebrari ſolitam, quam quæ ad mortuos, eorumq́ue ſacra, & funebria juſta pertinebat. Quam quidem ſuperſtitioſam adeò Religionem, ut ineptos Gentilium ritus, execrata ſemper Eccleſia, præcipuo tamen quodam in mortuos amore ferri nos voluit, ut adeo Chriſtiani etiam hominis non ſit piam defunctorum memoriam temerare. Quorſum autem hæc omnia? ut omnes nempe intelligant, quam ab omni hujuſmodi impietatis ſuſpicione immunis eſſe debeam, qui pro mea in Eruditiſſimum D. Macarium Havermans Chriſtiana charitate eam, quam par eſt, ejus manibus æternam quietem piè precor, ſanctèque hic primo in limine profiteor, nihil mihi magnopere cum ipſo Macario eſſe negotii; ipſum amo, ſed ita, ut libros tamen ejus, & noxiam cum libris doctrinam oderim: ut adeo, quod in eo mortuum eſt, non ſollicitem; quod ex eo ſupereſt

ſupereſt adhuc, & vivit, hoc impugnem, & ſanè quàm libris cum liberis affinis, & eadem propè eſt vox, tam non diverſa inter utroſque, eſt ratio, ut amari Pater & Author poſſint, dum meritas illi ſuæ temeritatis pœnas patiuntur; nec Patris, aut Authoris manes violari debeant, ut eorum Pupilli, ſeu libri, ſeu liberi reprehendantur meritò & caſtigentur. Macarium igitur non niſi quâ adhuc vivit parte aggredior; ſpirant enim, & vitâ quâdam poſthumâ in ſcriptis ſuis vivunt Authores, & in iis non mortui minùs, quam vivi nocent. Quamquam quis iſte meus eſt ſcrupulus? quaſi non ea ſit Adverſariorum etiam quotidiana conſuetudo: niſi fortè Molinæ, Leſſii, aliorumque ſcripta ab acribus Bajo-Janſeniſtarum calamis Authorum mors vindicarit; imo ipſe Macarius quàm in Scholaſticorum libris arrodendis aſſiduus, quam in exagitandis Caſuiſtarum ſententiis eſt vehemens? quorum herculè, ſi vixiſſet, grave maturumque ſupercilum, ferre ut arbitror, non potuiſſet.

Illud præterea monitum hic te velim, Lector Benevole, ut ſi fortè reliquo deinceps opere, quod quidem neceſſe erit aliquando fieri, Eximium D. Gummarum allocutus, ipſum etiam Macarium videar compellare, non planè deſipere me putes, qui mortuum alloquar: eſt potens quoddam, & vehemens allocutionum genus, quod reſponſum non exſpectat, & habet ſuas ad mortuos etiam apoſtrophas figurata Rhetorica. Quid quod & ſæpè Macarii

nomine non tam ipſum Macarium, quam ejus doctrinam, aut doctrinæ hæredes venire velim : tu pro tua prudentia, ut res & locus feret, commodè interpretabere, ego id ſemel hic volui dictum, quod non ſine faſtidio ſæpius poſtea repeterem.

§. 1.

TYROCINIUM THEOLOGIÆ MORALIS.

VArii Macariano prælo libri prodierunt, & ita multi, ut aliquorum ſuſpicio, nec fortè temeraria, fuerit pluribus eum manibus, pluribus ſcripſiſſe calamis; ex quo enim ex imis Scholæ ſubſelliis tranſlatus ad Cathedram ex Diſcipulo derepente Magiſter eſt factus, parum fuit novitio Profeſſori juvenilem vocem domeſticis parietibus circumſcribere, publicum per libros Magiſterium affectavit. Et anno quidem 1674. hoc eſt eo ipſo, quo Methodus Gummariana prodiit, Tyrocinium Theologiæ Moralis edidit; quod ſequenti deinde anno 1675. hoc eſt eo ipſo, quo Moralis Gabriëliana male ominatam lucem aſpexit; de novo auctum, & correctum editione alterâ recuſum eſt : nec malè in unum propè annum tam ſimilium librorum natales inciderunt : ejuſdem & meſſis, & æſtatis ariſtas ſimilis farinæ videas.

Hæ

Hæ Macariani ingenii primitiæ mirum quantum Novatoribus placuerunt, & habent hoc præcoces fructus, ut gratioris ſaporis, aut ſint, aut eſſe credantur. Hinc tot recentis opuſculi præconia legimus; ſuo enim quiſque pro guſtu, quod ſibi ſapit, hoc laudat: Vin aliqua? *Ex genuinis ſacræ ſcientiæ fontibus depromptum, non minus piè quam ſolidè ſtabilitum*: ita Arnoldus Eyben. *E limpidiſſimis SS. PP. præſertim S. Auguſtini, doctrinæ fontibus adinſtar puriſſimi rivuli ſcaturiens, eruditione ſua non tantum intellectum illuminat, ſed & voluntatem inflammat ad caſtum Dei amorem*: ita Laurentius Neeſen. Nec hic ſtetit ejus laus, ſed cum D. Joanne de Witte totum librum cum probet, titulum, & Tyrocinii nomen abjudicat; & ille quidem *Moralis Theologiæ Magiſterium*; hic verò *Magiſterium Chriſtianæ Perfectionis Theologicæ*, inſcribendum potius judicant, credo ut deterioris ſortis non eſſet liber, quam Author, quem Theologico Tyrocinio vix egreſſum Magiſtrum in Cathedra videramus.

Atque ita Tyrocinium alii laudavere; & tanto alienum opus laudavere honeſtius,quanto proprium ſuperbius commendatur: nam quod ſcias, nihil de ſuo libro humile, nil vulgare ſentit ipſe Macarius; & ut omnem honeſti rationem impleat, faſtuoſum Adverſariorum contemptum ad ſui Tyrocinii præconium gradum vult eſſe primum: audiamus:*quot Theologias Morales non edidit*(hoc ſæculum)

commenta Theologorum Philoſophicis ſtabilità rationibus, exquiſitis turgida probabilitatibus, humanis prægnantia inventis, tum paucis interjectis ita proſequitur: *Libellum novum* (offero) *ex antiquitatis venerandæ erutum arcanis, priſcorum inſiſtentem veſtigiis Patrum, ut ex illorum (uti fidei Doctorum, ita & morum Magiſtrorum) ſententia mores hominum formentur.* Ita aliena ille faſtidire voluit & deprimere, ut ſua extolleret, & vilis hæc, nec nova ars eſt, quam in triviis poſſis, ac foro à viliſſima plebe diſcere, quæ ſuas, quas proponit venales, tum denique merces commendaſſe putat; ſi alienas ſtrenuè contempſerit.

At, ut diverſa ſunt hominum palata, Moguntinis Doctoribus & (ut nihil dicam de Belgis) Colonienſibus amarum, nec Chriſtianum ſatis ſapiebat; & cum Eximio Gummaro, & R. P. Gabriëlis nòn obſcurè in eorum novaturientium claſſem Macarius à Carolo Breunio Facultatis Theologicæ Moguntiæ Decano compingebatur, *qui Calvini, Ianſenii, Baji aliorumque plurium officinam hæreſibus, erroribus, ſcandalis, imò & non paucis in Deum blaſphemiis deſtructiſſimam repetito ſtudio reliquis cum exuviis ſibi arrogantes, pernicioſiſſima viginti-quinque hocce in Opuſculo* (Franciſci Simonis de Statu, Origine, &c.) *relata, & jam pridem œcumenicorum Conciliorum Decretis, Summorum Pontificum oraculis damnata dogmata nova fuligine tincta ex orco reproduxerunt.* Hactenus ille in ejus

Opuſ-

Opuſculi Cenſura, quod junctâ piorum ſupplicatione ad CLEMENTEM X. Pontificem Maximum ſuppliciter offerebat Franciſcus Simonis, qui alia dum luſtrat, & ſcrutatur ſedulus & Chriſtianus indagator feliciter *arcana* quædam *venerandæ Antiquitatis*, ex quibus magna ſui parte *erutus*, & *Patrum* quorumdam non plane priſcorum nomina detexit, quorum *veſtigiis inſiſtit novus* hic Macarii *Libellus*.

At nec Carolus Breunius, nec Franciſcus Simonis impunes abierunt; vapulavit uterque in Apologetica Macarii pro ſuo Tyrocinio ad Pontificem Maximum, contra injuſtam accuſationem Franciſci Simonis, Epiſtola, quæ in ſua diviſa capita Libelli ſpeciem præfert: hac in re prævium R. P. Gabriëlis ſecutus Exemplum, qui & ipſe eodem anno menſe Februario contra eundem Franciſcum Apologeticas pro ſua Morali Diabolica Theſes cum ſupplice item Epiſtolà Pontifici Maximo inſcripſerat: verba ejus aliqua §. ultimo Superioris Capitis non ſine laude retulimus. Nil profuit, ut eventu patuit, ſua Patri Gabriëlis Apologia? quid ſua Macario profuerit neſcio, hoc ſcio, ſi ſua eum non defendat felicius, habet Macarius, quod timeat; niſi fortè meliora ſperet, quod petulantius ſcripſerit. Poterat certè ab ipſo Franciſco Simonis, aut ſi fortè amiciorem malebat magiſtrum, à P. Gabriëlis diſcere, moderatius coram Pontifice agendum, & cujus adeo hac in re exemplum æmulabatur, ejus etiam modeſtiorem

debuerat ſcriptionis modum imitari, & cum P. Gabriëlis de ſolito ſuo, vehementiorique impetu aliquantulum remittere: hoc ſcilicet & ipſa humanitatis ratio, & ſanctiſſima in terris, quam alloquebatur, Majeſtas exigebat.

§. 2.

EXAMEN PENTALOGI Diaphorici, & minores alii MACARII *Libelli.*

LOngum eſſet pluribus & diligentius libros omnes excutere, nam ad mortem uſque ſingulis propè annis libros ſingulos elucubravit; laudandus ſanè pro diligentia tam aſſidua, ſi meliori in cauſa, & quam Chriſtianè ſæpè, tam non multis in locis Bajo-Janſenianè ſcripſiſſet; hoc unum interim univerſim dici poteſt, ſi vitæ brevioris ſpectes anguſtias, multa; ſi utilitatem, parum; ſi periculum, nimium eum ſcripſiſſe. Cæterum ubique ſibi ſimilis juvenili impetu abripitur, & acerbiori uſus calamo, in omnibus non dico libris, ſed paginis Scholaſticos Theologos, eorumque doctrinam acriter adeò impetit, ut hoc in genere confœderatis ſuis palmam longè præripiat; prout ſequenti capite manifeſtum reipſa fiet. Ridiculus mihi interea eſt dilectionis proximi defenſor, dum libello integro diſquiſitione Theologica hanc quæſtionem diſcutit:

An

An ſatisfiat præcepto dilectionis proximi per hoc , quod proximo exhibeamus ſigna externa , ſeu externa dilectionis officia , ſimul non habendo odium erga proximum. Si viveret , hanc item ei quæſtionem diſcutiendam proponerem : *An ſatisfiat præcepto dilectionis proximi per hoc, quod charitatem ſemper habeamus in ore , & habere nos dicamus in corde ; externis interim odii ſignis, quà voce, quà ſcripto, mille acerbè conviciis proximum impetamus.* Et verbis puto ſanctius , & non pro ſuo facto , hanc quæſtionem reſolveret.

Jam vero quam dilectionis magiſter ridiculus , tam ridiculus quoque eſt alienæ doctrinæ examinator in examine Pentalogi ; nolim quidem defendere Pentalogum Diaphoricum ; peccat ille , fateor , multis in locis , nec examinari tantum, ſed & caſtigari meritus eſt : quid ergo ? id rideo , ollæ à cacabo nigredinem objici , & exprobrari. Et nos quidem capite quarto ipſum illum Macarianum librum *Examen Libelli cui titulus , Pentalogus Diaphoricus, &c.* felicius , ut ſpero , examinabimus , & illud videbimus , quam non nitidæ fuerint ſcopæ , quæ alieni libri ſordes everrere voluère : quare de hoc quidem libro , cum de Sacramento Pœnitentiæ , & dilatione in primis abſolutionis ſtudiosè agat , ſuus erit & frequens toto paſſim quarto capite locus ; hic illud ſcias, Lector Benevole, non Antverpiâ nobis Macarium iſtud opus , ſed Pariſiis ſubmiſiſſe ; ut adeò minus poſtea mirere , nullum alium ejus librum Vergeriani plùs & Arnaldini ſpiritus habere.

Vis porro videre, quàm Auguſtini melior diſcipulus videri velit, quam Apoſtolicæ & Pontificiæ Sedis filius? habe tibi in Theſibus 8. Mart. 1677. tum eodem anno in Libello cui titulus : *Diſſertatio Theologica de Auctoritate SS. Patrum præſertim P. Auguſtini* : utrobique hæc non ſine ſtupore verba legimus, quæ ipſe me-herculè, ſi viveret, Magnus P. Auguſtinus Apoſtolicæ Sedis acerrimus vindex ſuo ipſe deleret calamo, aut ſtylo potius ferreo, ne veſtigium ullum ſupereſſet, penitus eraderet; ſic enim ait : *An bene procedant, qui ubi urgentur clariſſimis S. Auguſtini locis, ab Auguſtino ad Pontificum Bullas, & Decreta appellant? Reſpondeo* PESSIME TALES PROCEDERE. Benè in hæc verba Speciminum collector: *Hic Profeſſor more ſuo reſpondet confidenter. Piæ aures mallent audire reſponſionem ſic temperatam : Reſpondeo non bene tales procedere, ſi deſtituant Authoritatem S. Auguſtini ut deſperatam : procedunt verò bene, ſi poſtquam piè conati ſunt explicare teſtimonia Auguſtini, vel eo te remiſerunt, ubi illa piè ſunt explicata, vocent te ad Pontificum Bullas, & Decreta, quæ ipſis videntur non minus clara, quam tibi teſtimonia Auguſtini.* Ita ille : quid Macarius præterea? juvat enim alternos audire. *Vnde clarè deduco, quod ubi quis invenit doctrinam clarè in Auguſtino fundatam, illam abſolutè poſſit tenere, & docere,* NON RESPICIENDO AD ULLAM PONTIFICIS BULLAM. Excipit hæc prudenter verba Speciminum non otioſus collector, &

tuta

tuta negat in praxi : *Nihil* utpotè *facilius contingit, quam ut juvenis Theologiæ Profeſſor, præcipuè cui primos ingenii impetus non ſatis ſedaverint cogitationes tetricæ Logicorum, aut Methaphyſicorum, ſibi perſuadeat clarum ſe reperiſſe fundamentum doctrinæ ſuæ in Auguſtino, cujus ſcilicet aſſerta ad unum omnia approbata ſint ſumma Eccleſiæ Authoritate.* Pergit Havermannus : *Verum demus gratis aliquem in particulari non poſſe oſtendere diſcrimen inter ſuam ſententiam, & damnatam opinionem ; an ſtatim irreverens, & injurius dici deberet in Auguſtinum, ſi ejus authoritatem obtenderet ? Reſpondeo, non : ſi videret Viros doctiſſimos & piiſſimos, etiam poſt Bullam Pontificis, quâ damnat illam opinionem adhuc docere illam ſententiam ſciente & non contradicente S. Sede.* Non tacebit hic Collector, de quo ſuprà, qui ſi alibi tacuiſſet, hic certè loqueretur, & *magnum*, ait, *onus imponit S. Sedi hic Profeſſor ut eam oporteat ſcire illicò, ſi quid in aliquo mundi angulo aberrarint Theologi : deinde ut contradicere illicò debeat, autumo, Bullam expediendo, aut Decretum Apoſtolicum.* At nec tacere ego hic poſſum, & quis bene Catholicus hic taceat ? nam quid tibi cum nova illa Bulla, quam expediret Apoſtolica Sedes ? quid cum Apoſtolico Decreto ? ſi *ab Auguſtino*, te Judice, *ad Pontificum Bullas, & Decreta* PESSIME *appellatur*, ſi NON VIS RESPICI AD ULLAM PONTIFICIS BULLAM, ſi *Auguſtini* etiam tùm *authoritatem obtenderes, ſi videres*

K *Viros*

Viros doctiſſimos & piiſſimos etiam poſt illam novam *Bullam Pontificis adhuc docere illam tuam ſententiam, quam inter & damnatam opinionem diſcrimen non poſſis oſtendere.* Ita qui loqueris, non merito à me audias in os tuum regeri, tuum illud, dum pro tua charitate integras Scholaſticorum centurias juvenilibus lacertis aſſiduô flagellas, in libris tuis centies repetitum *quo hæc vergunt? quo hæc vergant nemo non videt, judicet Sua Sanctitas quo hæc vergant.* Imo judicet Sua Sanctitas quo tua illa vergant. Videamus (ſed ante liceat ſic quaſi brevem per parentheſim exclamare; ô lepidum! ô feſtivum probabilitatis hoſtem! Viris piis ac doctis tantum tribuere, ut ante omnem Pontificis condemnationem ob eorum authoritatem ſententia probabilis ſit aliqua, & dicatur, capitale Macario ſcelus eſt; quid ipſe interim? perſtat in ſua ſententia pertinax etiam poſt Vaticana fulmina, dummodo etiam poſt illa doceri eam videat à Viris doctis & piis: hoc autem quo nomine appellabimus? aut multum fallor, aut hæreticorum pervicaciæ affinius illud eſt, quam Scholaſticorum tam exoſæ probabilitati) nunc quod dixeram videamus.

R. P. Philippus de Hornes hanc Antverpiæ 30. Theſim 9. Julii 1675. propugnandam ſe Præſide poſuerat: *mirum nulli videbitur Adverſarios pro ſe citare S. Auguſtinum, ſi ea, quæ habemus Theſi 6. rectè conſideret, perpendatque quæ habet D. Thomas in Ioan. cap. 1. Lect. 7. litt. H*

nempe

nempe Auguſtinum aliquando ita ſcripſiſſe, ut videatur hæreticis favere, adeóque cautè legendum: ſolere hoc item omnes, qui ſententias novas inducere geſtiunt. Habuere hoc ſolenne ſemper dogmatiſtæ, magno Auguſtini nomine abuti ad libidinem cogitationum ſuarum: hoc Fauſtus Rhegienſis, hoc Seraphion hæreticus, hoc Berengarius oſtentabant: Claudius Taurinienſis contemptor Patrum, unum Auguſtinum ferebat in manibus; Wicleffus Ioannes Auguſtini appellari voluit; nota eſt Lutheri impia exultatio: AUGUSTINUS TOTUS MEUS EST: *Calvinus denique cum cæteros fere Patres abdicaret, Auguſtini ſententias tot accumulavit, ut in ejus libris Auguſtinum ſæpius, quam Calvinum loqui glorientur Calviniſtæ. Inſpiciamus etiam Catholicos, qui à veritate deviavere, eos idem feciſſe comperiemus. Quis ſe Bajo & Janſenio cum Auguſtino ſentire magis profitetur? vix aliud quam loca D. Auguſtini, quibus hæreticè abuſi ſunt, eorum libri continent. Non igitur terreamur, imo ſuſpectum habeamus dum aliud nihil, quam S. Auguſtini authoritatem clamant, &c.* Hæc tu verba ultima: *Non igitur terreamur, &c.* A reliquis deciſa ex ejus Theſibus, quas *non ſine magno* (ut loqueris) *animi mærore pii* (Bajo-Janſeniani) *deplorarunt*, Pontifici Maximo in tua illa humili Apologia ex tui defenſore adverſariorum factus accuſator judicanda cum obtuliſſes, non poteras quin in lugubres exclamationes erumperes: *pro dolor! Bone Deus! in quæ ſæcula incidimus! quo res Chriſtiana*

Devenit ! nec poteras tui epiphonematis obliviſci; *judicet Sua Sanctitas quo hæc vergant.* Quo autem vergunt? *in damnum Eccleſiæ, in SS. Patrum contemptum.* Nolim ego pro R. P. Profeſſore Apologiam conſcribere non ætatem modo, ſed & eruditionem habet Theologicam, ut meæ defenſionis minimè indigus pro ſe loquatur; ſed nimirum defendi non debet, quem illa ipſa, quæ arrodis, verba abſolvunt. Quid enim ait? *Suſpectum habendum dum Sancti Auguſtini authoritas clamatur* ? imo vero dum NIHIL ALIUD clamatur, non Pontificum Bullæ clamantur, non Apoſtolica Decreta clamantur; nam is hæreticorum mos eſt, unum Auguſtinum clamare: hunc Calvinus, hunc Lutherus ad ravim uſque clamabant; Pontificum Bullas, Apoſtolica Decreta aniles veluti fabulas explodebant, ex unius Auguſtini ſententia ſtatuenda definienda, credenda dicebant omnia : quos tu ſi ad Pontificum Decreta voces, ipſis Macarii verbis PESSIME, dicant, *ab Auguſtino ad Apoſtolica Decreta appellari*, ſi inſtes tamen, & pro Romanæ Sedis, Eccleſiæque authoritate Catholicè pugnes; nihilo modeſtius verbis item noſtri Macarii reponant: *doctrinam clarè in Auguſtino fundatam abſolutè teneri poſſe & doceri* NON RESPICIENDO AD ULLAM PONTIFICIS BULLAM. Liceat interim mihi bona tua venia in tuas nænias exclamare, & ita exclamare, ut ipſa Sedes Apoſtolica audiat *pro dolor!* ita loqui Catholicum! *Bone Deus ! in quæ ſæcula incidimus!*

cidimus ! quo res Chriſtiana devenit ! liceat tuo uti epiphonemate *judicet Sua Sanctitas quo hæc vergant.* Vergunt in Eccleſiæ damnum, in manifeſtum Romanæ Sedis contemptum, in totius Catholicæ ſub uno in terris capite fidei ruinam : primum enim eſt nominare nolle, alterum non curare, tertium denique prorſus explodere ; & exploſit quidem manifeſtè Pictavii Religioſus ille, de quo Joannes Filleau Eques S. Michaëlis & Conſiliarius Regius in Gallica ſua relatione Juridica cap. 13. pag. 86. ita refert: Religioſus, cujus nomen tacere volo ne odium ei & infamiam apud Poſteros conciliem, dedecorans candorem ſuæ veſtis eo audaciæ, imo potius impudentiæ venit, ut in has voces proruperit: *malo errare cum Auguſtino, quam benè ſentire cum Papa.* Quam vereor ne plus aliquid cum hoc Religioſo commune habeat Macarius quam colorem : interim eam in Auguſtinum æque ac Eccleſiam blaſphemiam evomuit Pictavus ille Religioſus occaſione Bullæ Apoſtolicæ *Innocentii X.* in librum Janſenii, quaſi in libro illo S. Auguſtini doctrinam condemnaſſet. Vide in quod impietatis præcipitium affectatus ille, ac nimius Auguſtini amor Ianſenianos dejiciat, ſi tamen Eccleſiæ & Pontificis Auctoritatem tam Calvinianè prodere non odiſſe potius Auguſtinum ſit, quam amare.

Atque hæc longius fortè quam aut velint Macariani aut tu etiam Lector exſpectaras ; ſed ſtudio tamen & de induſtria, non caſu, aut ſcribendi impetu penitius illa examinavi

ut omnes intelligant, quam nullam veri habeant ſpeciem, quæ in ſcheda ejus funebri tam ſpecioſè inſerta video: *doctrina ejus variis libris contenta Sanctiſſimo Domino exhibita ſine nævo inventa eſt.* Nam ut Bajani nihil, nihil Janſeniani in ſuis uſpiam libris docuiſſet, & in hoc peccaſſet uno, quod contemptim adeo de S. Sede, & Pontificiis Decretis ſcripſiſſet, exiſtimare potes Lector, qui quidem Catholicus es, *doctrinam ejus* Romæ *Sanctiſſimo Domino exhibitam ſine nævo inventam?* At nos fictitiis illis approbationibus, jam toties decepti non credimus; damnatos Janſenii, damnatos Baji, damnatos ſcimus P. Gabriëlis errores & damnatos credimus, qui Decreta Romana legimus, & reveremur; quibus quidem damnatis, Macarii libros Romæ approbatos eſſe animum non induco ut credam; ita enim ad eos acceſſiſſe ſuis in libris Macarium oſtendam, ut facilè aſſequar, cur nos adeo velit Bullarum Pontificiarum oblivisci & ad Bullas Pontificias nolit appellari. Tu interim Lector hactenus à me dictis hoc dabis, ut tantiſper judicium ſuſpendens illo Macarianorum præjudicio abripi te ne patiare; ego illud ſub hujus opuſculi finem ſublaturum penitus me confido, atque illic eo commodius, quod plures ante nævos exhibuero; ubi & totam ſchedam funebrem expediam, & novam doctrinæ ejus, quam meretur, Panegyrim dabo.

CA-

CAPUT TERTIUM.

COMMUNE TRIUM-VIRORUM in Scholaſticos Theologos odium.

BArbarorum eum morem fuiſſe legimus, ut in hoſtem pugnaturi ab incondito clamore inciperent; ſic ubi ſuas in Alexandrum copias Darius movebat vix hoſtilem aſpectum ſubierant, & jam barbarum Perſæ, &trucem clamorem ſuſtulerant & confuſæ potiùs multitudinis, quam bellatorum pugnacium indicem. At non eos à clade ſuus clamor vindicavit, & pugnæ eventus docuit, non qui ſtentoreè clamarit, ſed qui pugnarit fortiter, victoriæ laurum reportare. Eum pugnandi morem tam barbarum, & omnes olim Hæretici, & hodiè Bajo-Janſeniſtæ obſervant, & pertinacem cum piis Catholicæ Fidei aſſertoribus manum conſerturi in barbaras & inconditas vociferationes primum erumpunt; nec militaris eorum ſemper eſt clamor, ſed rixantium in morem contumelioſus, tum etiam lugubris in lamentationes, in gemitus, in ſuſpiria, & triſtes ejuſmodi exclamationes ſæpè

ſæpè deſinit. Hinc tot in Scholaſticos convicia, tot in Caſuiſtas Satyrica dicteria, ut eos his contumeliis aut opprimant ſi poſſint, aut certè à pertinaciori pugna deterreant: tum ubi primus ille furoris impetus reſedit aliquantulum, & per tot aculeata verborum tela omnes exhauſtæ ſunt pharetræ, in lachrymas tanta ira, & gemitus deſinit: & perditum Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum, corruptos Chriſtianorum mores, Theologiam in Ariſtotelicas argutias degenerantem, impium Sacramentorum abuſum, præcipites in ſcelera omnia animos miſerabiliter deplorant: &, ſi iis credas, hæc Scholaſticorum vitio, hæc diabolica Caſuiſtarum probabilitate facta omnia, quorum adeo noxia luxuriantium ingeniorum figmenta abolere ipſi velint neceſſarii in hoc rerum deſperatarum articulo Catholicæ Fidei, ſi Superis placet, reformatores; & hac in arte ita præclarè verſuti ſunt, ut apud mobile, plebis præſertim, & muliercularum ingenium fictis lachrymis fidem facilè concilient, & acrem in Scholaſticos invidiam concitent. At ſua eos nempe ſpes fallit, & quam non barbaris Perſarum clamoribus Macedonica, tam non Scholaſtica Phalanx acerbis Bajo-Janſeniſtarum dicteriis terretur; aſſuevere ſcilicet eorum aures, & ad ejuſmodi contumelias jam dudum obduruere & invidioſas in ſe, & de ſe Novaturientium querelas antiquis Hæreticorum calumniis adnumerant.

His tam clamoſis in caſtris gregarii milites non ſint

noſtri

noſtri Trium-Viri, & ea habent ad clamores latera, ut in confuſo omnium murmure eorum voces diſtinctius audiantur: verum quid faciant? imbelle agmen, quod à ratione non habet, à clamore ſubſidium petit, ne prorſus inerme videatur. Nec abs re erit, opinor, quos iiſdem deinde manibus pugnaturos videbimus, eodem nunc ore clamantes audire, ut de perfecta eorum ſimilitudine non dubitemus, quorum & communia ad pugnandum arma, & communes ad vociferandum voces eſſe intelligemus.

§. I.

QVÆ GENERATIM IN NOVAtoribus hujus odii in Scholaſticos cauſa ſit, ſimulque innuitur, à quibus illud hæreditarium acceperint.

NVllam habet Bajo-Janſeniſmus *fraudem tam ſubtilem, quam non perſpiciant, detegantque Scholaſtici: his imputant* Bajo-Janſeniani *quidquid cladis accepere dogmata ..... Scholaſticos ergo Theologos oderunt peſſimè, nihilque omittunt ad contumeliam & dehonorationem Theologorum pariter, & Theologiæ Scholaſticæ; faſtu ſatanico ſugillantes ruſticitatem, imperitiam, vanitatem, unde Eccleſiæ ipſi oborta ſit caligo, mira fideique notæ omnes propemodum obliteratæ.......* & *atrocior eſt* eorum *accuſatio, quâ*

Scholaſticos Theologos reos agunt ſubverſæ everſæque pænitentiæ, ex quo illi tempore nimirum varias *quæſtiones cœperunt agitare, paulatim in haſce ſubtilitates, & ſcholaſticas contentiones Pænitentiæ rigor, & ſtudium evanuit* ..... & *ad pænitentiam Sacris Litteris præſcriptam, Patribuſque non incognitam à Scholaſticorum doctrina provocant* .... *ſed non alibi* Bajo-Janſeniſtas *videas intemperatiores in Scholaſticos Theologos, quam ubi non diſſimulant dolorem denavata ab illis opera* ... *Romanis Pontificibus de heræſi judicantibus*; jam dudum *audivimus furioſiſſimè debacchantes* & Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. & Alexandri VII. *Conſtitutiones adverſus* Baji & Janſenii *errores petulantiſſimè imputantesTheologis*,quos omnium peſſimè oderunt; *ô dolor disjecti fulmine jacent errores? operam contulere Scholaſtici Theologi: en crimen en cauſa.* At quæ hæc, inquies, deſcribendi libido eſt? nam hæc quidem hactenus omnia mutatis ſolis nominibus ipſiſſima ſunt verba Franciſci Simonis S. T. L. neque hæc ipſe de Bajo-Janſeniſtis, ſed de Hæreticis ſcribit, quorum hanc fraudem parte 3. pluribus perſequitur, qua eos ait *Theologiam & Scholaſticos Theologos, ut peſſimè de ſe meritos, vexare ac dehonorare, quoad poſſunt.* Ita profecto eſt; verba ipſius ſunt, & ut talia diverſo charactere impreſſa vides; verum, ita me ſuperi ament, quidquid ille tum ibi, tum alibi de hæreticorum fraudibis eruditè diſputat, ita aptè, ita bellè in hos homines cadit, ut qui iiſdem cum eo verbis,

eodem

eodem ordine omnes Bajo-Janſeniſtarum fraudes detegere voluerit, mutare quidem præter nomina neceſſe habeat nihil. Unde id fiat & quo demum fato, invidioſum fortaſſe ſit ſcribere, & manifeſtius eſt, quam ut dicatur: nunc quod agimus videamus.

§. 2.

SPECIATIM TRIVM-VIRORVM noſtrorum & Macarii inprimis in Scholaſticos odii ſpecimina aliquot ex eorum Libris adducuntur.

A Viro eximio ſumamus initium; nam quid ipſe, aut in ſua illa præclara Methodo, aut in Theſibus ſuis prætermittit, quod ad Scholaſticorum, Caſuiſtarum, Probabiliſtarum &c. invidiam facere poſſit? Imo non alia profecto de cauſa 65. Propoſitiones longioribus Theſibus expendere creditur, quam ut amplum ſibi aperiat campum, quo latius & ſpatioſius per omnes Caſuiſtarum libros effuſo impetu vagetur; & in methodo quidem nil niſi ſacrilegia & ſacrilegos adverſariæ partis Confeſſarios ſonat; in Theſibus calamitates Theologiæ omnes Scholaſticis & Probabiliſtis acceptas paſſim refert; & cogitaveram hic ſelecta quædam ex pluribus ſpecimina in medium proferre; ſed audio id alium meditari, nec jejunam adeo

hoc in genere materiam mihi reliqui duo relinquunt, ut alienam meſſem velim præcidere, ſi quis interim curioſior moram non ferat, adeat Apologiam D. Du Bois adverſus Racematores, inveniet illic ſeriem integram in unum D. Nicolaum congeſtam, & ex unius portione de reliquis ſimul omnibus prudentem faciat conjecturam. Quid autem P. Gabriëlis? num ille in Caſuiſtas modeſtior? imo multo etiam acerbior; & in priori quidem meo libello paratum eum vidimus ſuppoſitâ Caſuiſtarum probabilitate probabiliter ſuſtinere hanc ſuæ Theſeos antitheſin: *quod lubet, licet*, ut adeo tu ſcelera nec tam immania, nec tam execranda excogitare poſſis, quæ ipſe licita eſſe probabiliter non ſuſtineat: nec mirum; nam quam veri ſpeciem Adverſariorum probabilitas apud eum ſcepticum non dico habeat, ſed habere poſſit, qui ideis ſuis Carteſianis eo dementiæ prolapſus eſt, ut primum & ipſo lumine naturæ certiſſimum principium *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe* in dubium revocarit; porro ne ſingula ejus convicia ſigillatim proſequar, facit inſignior illa, & prorſus palmaris contumelia, quæ reliquas in ſe omnes una complectitur, qui enim communem Caſuiſtarum, Scholaſticorumque doctrinam *moralem* vocavit ... *diabolicam*, quam denique injuriæ ſpeciem prætériiſſe putandus eſt? atque hic opportunè occurrit Joannis Wicleffi articulus 29. in Concilio Conſtantienſi damnatus, in quo de Theologicis Catholicorum Univerſitatibus & Facultatibus ita pronunciat:

nunciat : *tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.* Superi! quod hoc hominum genus eſt, quibuſcum ago? quorum ego verba legere non poſſim, niſi Hæreticorum meminerim.

Finem conviciorum putas Caſuiſtarum moralem dixiſſe DIABOLICAM, ipſoſque adeo Scholaſticos non obſcurè cum Wicleffo DIABOLIS contuliſſe: nam quid dici poſſit amplius, aut quo injurioſius Adverſariorum doctrina, quam ad ima barathra relegari? invenit tamen D. Macarius, quo Patrem Gabriëlis non modo æquet, ſed ſuperet etiam; ea enim eſt viri in ſalutandis Adverſariis humanitas, & modeſtia, ut in calumniando nec ſuperiorem ferre velit, nec parem: id autem ut faciat, quem ſibi alii contumeliarum finem ſtatuêre, ac terminum, Macario gradus eſt: DIABOLOS fecit Gabriëlis, Macarius PLUSQUAM DIABOLOS. Exhorruiſti Lector? & meritò; quis enim id exſpectet ab eo, qui libello integro, ut vidimus, de proximi dilectione tam ſanctè diſſerit. At mihi ſcilicet ſuſpecta odii ſit iſta caritas, quæ tantum in proximum bilis & tantum fellis coquit. Et ne imprudenti, nec ſatis ſibi attendenti ſemel id aut leviter excidiſſe putes, integro id paragrapho, corraſo undequaque rationum fuco & colore, diſputat, & contentioſè pugnat Adverſarios ipſis DIABOLIS pejores eſſe; obſecro enim quid aliud agit in Diſſertatione Theologica pro autoritate S. Auguſtini §. 18. ubi hanc ſibi ineptam quæſtionem proponit: *An Probabiliſtæ non plus ſibi attribuant, quam ſibi attribuunt Pontifex,*

tifex, Eccleſia, ac Deus? quam injurioſa non erit reſponſio, ubi ipſa quæſtio tam eſt invidioſa; verumtamen in dubium revocabit; minimè vero; at aliquâ ſaltem diſtinctione tam acerbam quæſtionem molliet homo religioſus & leniet? ne illud quidem: nam id qui exſpectas, Macarii caritatem non noſti. Quid ergo ait? nudè ac rotundè *reſpondeo*, inquit, AFFIRMATIVE: & cum is id reſpondeat, qui acerrimus probabilitatis hoſtis nihil aſſeri à ſe vult, niſi quod morali certitudine compertum habeat, debes hanc etiam reſponſionem, Lector, tamquam moraliter certam admittere *plus ſibi probabiliſtas attribuere, quam ſibi attribuunt Pontifex, Eccleſia, ac Deus*; ſatin' vigilabas, Macari, cum hæc ſcribebas? qui non intelligebas hoc uno te Adverſarios & hæreticos facere, quod manifeſtum eſt? nam quis demum tibi hæreticus ſit, ſi is Catholicus eſt, qui ſe Pontifices ſupra & Eccleſiam ſacrilegè evexerit; & pluſquam diabolos, quod non obſcurum eſt ſcripturas ſcientibus: ſimilem Altiſſimo non eſſe, ſed eſſe velle uſque adeo eſt diabolum eſſe, ut, qui ante non fuerit, diabolum faciat: quid erit igitur non ſimilem eſſe Altiſſimo, aut eſſe velle, ſed re ipſa Deo ſuperiorem ſe ſtatuiſſe, & hæc monſtra & ſacrilegiorum portenta (Probabiliſtas loquor) in ipſa Urbe Romana Pontifices ſuſtinuerint, Eccleſia paſſa ſit, & qui ſui ſimilitudinem impiè affectantes perdidit Angelos, & ultricibus flammis æternum cruciandos addixit, non novum probabiliſtis orcum & infernum condiderit?

Vis plura bilioſæ caritatis mellita ejuſmodi blandimenta? habe tibi ſub unum aſpectum aliqua: vix ulla adverſariorum Theologia *fundamenta petit ex limpidiſſimis fontibus S. Scripturæ & traditionis.* Quid ergo? *omnia juxta Philoſophiæ ac ratiocinationis normam ac ſubtilitatem trutinant, & de Chriſtiana Theologia faciunt Theologiam naturalem, ſeu Philoſophiam ex peripateticis Ariſtotelis Principiis, ſæpius autoritatem Ariſtotelis, quam SS. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aut alterius S. Patris allegantes, ne dicam magis æſtimantes, ſaltem ſuam aliqualiter plauſibilem rationem SS. Patrum ſententiæ præferentes:* urbanos me-herculè humanitatis floſculos! ſed patriſſat hîc nempè Macarius, *ſequiturque Patrem* (Janſenium) & *paſſibus æquis*: ille enim haud multum diſſimili phraſi tomo 2. lib. Proëmiali cap. 8. Scholaſticæ Theologiæ argumenta per ludibrium vocat *depuratas Ariſtotelicæ Metaphyſicæ eliquationes:* item lib. de gratia primi hominis, *Philoſophicas tricas & ineptias è Claſſibus Dialecticorum petitas.* Pergit Macarius: *verè bubones & noctuæ ſunt recentiores Scholaſtici reſpectu aquilarum* illarum Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi &c. ô politulam, & elegantulam comparationem! Antiquis Eccleſiæ Patribus Scholaſticos vult poſtpoſitos, nec bellulè ſatis id ſe facere poſſe putat, niſi nominibus tam dulciculis noctuas eos & bubones appellet: ut adeo mirari jam amplius non debeamus communi eos ludibrio ab Hæreticis pariter, & Bajo-Janſenianis petulanter ità impeti, quando hoc

ipſum

ipſum feralium iſtarum avium fatum eſt. Quid porro mellis ſtillat præterea modeſtus hominis calamus? *vix datur lex aliqua, quæ non ferè inutilis redditur Scholaſticorum illorum Gloſſis* patriſſabat paulo ante, hic fratriſſat: id ipſum habet P. Gabriëlis in Auctario ſuo ſecundo, ubi inter alia Scholaſticorum moralem ait *per probabilitates legem Dei declinare ſtudioſè niti*, & *multas divinæ legis lacinias præcidere*: imo, quod toto Auctario pluribus agit P. Gabriëlis, in lata ad perditionem via per laxiorem Adverſariorum doctrinam quam plurimos foveri, breviter ità Macarius colligit, ut ſe planè fratrem probet: *miſerum hunc Theologiæ moralis ſtatum viri pii & docti* (hoc eſt Bajo-Janſeniani) *deplorant videntes quod per illum via plana ſternatur ad æternum præcipitium.* Sed benè habet, quos noctuas ante, quos bubones fecerat, honeſtiori Metamorphoſi repente facti ſunt grues: *non multum*, inquit, *me movet ſola Scholaſticorum autoritas, quorum plurimi ut grues ſe mutuo ſequuntur non diſcuſſa veritate.* Hîc, quod ſcias Lector, non vult inter grues ejuſmodi Macarius numerari; neminem ipſe ſequitur; tantum dictatis alienis liberaliter utitur; ità enim de ſe ipſe eo ipſo in loco fatetur *multum debeo Ex. D. Franciſco van Vianen S. Theologiæ Lovanii Doctori, Viro moribus gravi, doctrina famoſo; & Eximio Patri Farvaques Ordinis S. Auguſtini S. Theologiæ ibidem Doctori .... quorum Dictatis Theologicis liberaliter uſus fui*; & ante dixerat *libenter enim fateor me vel nihil,*

vel

vel ſaltem parum ex omnibus dicendis ex me habere, ſed pleraque ex aliis deduxiſſe. Quid? hoc non eſt gruis in morem grues ſequi? minimè inquit, nam hoc in Caſuiſtis reprehendo; ego autem alienis tantum liberaliter utor. Hæc riſum merentur, iſtud verò indignationem, ſcholaſticorum placita *quiſquilias*, *nugas*, *ac paleas* vocat, atque utinam in his paleis reſideret Macarianus ille aut odii aut amoris ignis! ſed nigriores ille in flammas abit, & *ſimiles* inquit, *peſtiferi errores & periculoſiſſima venena in pharmacopæâ Scholaſticorum varia venduntur eo periculoſiora, quo ſub pulchriori cortice conteguntur: uti enim Pharmacopolæ pillulas amaras ſolent exterius deaurare, vel aliqua amabili dulcedine, aut odore delinire, ne alias horrorem ægrotis cauſent, & ſic ejiciantur, ſic & Scholaſtici peſtiferos errores ſolent deaurare, & delinire dulcedine*; reliqua uno ſaltu tranſilio ne diutius in his ſordibus hæream. Nunc tuam fidem, Lector benevole, appello, non hæc me putas ex variis, iiſque pluribus Macarii libris in unum undique corraſiſſe tot tamque aculeata in Scholaſticos ſcommata? atqui ex una ad lectorem præfatione deſcripſi omnia: ſic Tyrocinium ſuum Tyro Profeſſor auſpicatur, ut planè verum ſit illud Poëtæ: *juvenile vitium eſt regere non poſſe impetum.* Tu interim tacitè numerum ſi potes, ini, & ex hac una præfatione fac quam amplum conſectarium & videbis qualem calumniarum cumulum libri omnes ſimul conficiant: quamquam decumanum in Scholaſticos fluctum interru-

perit mors; minabatur nobis in examine Pentalogi pag. 515. tract.de probabil. & *brevi lucem inquit videbit,ſi ſanitas permittat.* Sed nec illa, nec mors, aut potius Deus permiſere: gratulor Caſuiſtis: qui enim obiter à Macario alia agente tam graviter vapularunt, quam ad interiora uſque viſcera excoriarentur dum in eos data operâ impetum faceret. Cæterum cujus flagellantem manum ſenſiſtis, ejus frontem miramini *non hæc* (probra, dicteria, convicia &c.) *dixi ex contemptu & vilipenſione Caſuiſtarum.* Superi! quid erit contemnere, quid vilipendere, ſi hoc revereri eſt? imò eo impudentia venit, ut dum pleno ore bilem expuit eodem ore caritatem balbutiat: *utinam hæc* (charitas) *Theologorum animis ingeneraretur! exularent planè è Theologorum libris illa ſcommata, quibus ſe mutuo cum charitatis detrimento, aliorumque maximè hæreticorum ſcandalo impetunt.... hæccine eſt Chriſtianorum charitas ad invicem? mihi ſemper exoſi fuerunt ejuſmodi homines unde & à ſimilibus cenſuris exacerbantibus abſtineo.* Stipites ergo nos aut fungos credis? nam quid apertè ludificare eſt ſi hoc non eſt? corda perfodis, & vulnerare te negas. Me-herculè quis hæc Macarianà univerſa vel ipſoſmet inter gentiles non ſumet ut veſana ludibria, inter ſanæ mentis Philoſophos ut implicantia deliria, & inter vere Chriſtianos, ut impia dicteria ut ſophiſticos cavillos ac ut petulantia ſcommata. Nunc ad alia:

§. 3. RI-

§. 3.

RIDICULUM MACARII ARgumentum quo vult Caſuiſtarum lectionem Confeſſariis inutilem eſſe & non neceſſariam.

HActenus Caſuiſtæ, aliique ſcholaſtici à Macario, ut vidimus, haud ſegniter vapularunt; hactenus non unum multiplicis infamiæ ſtigma turpiter inuſtum eſt, hoc tamen cum ſolatio quod admotum ferrum Bajo-Janſenianæ ſcilicet puro caritatis igne canderet: nunc, ſi poſſit, omnibus eos Confeſſariorum bibliothecis æternum velit exulare. Hic ſcilicet ſupplicii modus eſt; ſic maleficorum ſcelera in foro virga prætoria vindicat, primo flagellare tum individuâ maleficii notâ inuſtâ patriis finibus imperato exilio interdicere.

Idque adeò Macarius ut agat honeſtius, non privato odio indulgere, ſed SS. Patrum cauſam hac in re ſuſcipere videri vult, ſic quaſi à Scholaſticorum contemptu ſuus SS. Patribus honor aſſerendus ſit: & illud operosè contendit ex ſolis SS. Patribus omnem eam caſuum ſcientiam, quæ conſcientiis dirigendis neceſſaria ſit, cumulatè hauriri poſſe, & tanto purius, quanto in ipſis fontibus purior

fluit unda; nec, ut Macarianis floſculis utar, Scholaſticorum *nugis, quiſquiliis, paleiſque* ſordidata: audiamus: *hæc ſunt* (inquit pag. 87.) *veræ Chriſtianæ moralis Theologiæ pura ac germana principia, hi ſunt ſinceræ ſapientiæ morum limpidi fontes, & ſcaturigines, ex quibus aquam ſapientiæ ſalutaris ſalientis in vitam æternam haurire quilibet ſine labore poteſt, totumque propemodum deducere, quod ad vitæ directionem eſt neceſſarium. Vndè falluntur qui continuò clamant impoſſibile eſſe ex SS. Patribus Theologiam moralem colligere, illumque in ſcientia morum debere cæcutire, qui quoad illam ſolos conſulit SS. Patres: & graviter etiam errat, qui putat nullum poſſe eſſe capacem excipiendis confeſſionibus, qui ſolis SS. Patrum voluminibus inſudavit, & non egregiè in Scholaſticis evolvendis ſe impendit, ut ex illis conſcientiæ caſus deducere ſciat.* Vides Lector ut ſub ſpecioſa Patrum defenſione Scholaſticis omnibus exilium paret; ridiculum Macarius Caput! qui omnes Theologiæ moralis apices, tamque varios & implexos in omni materiarum genere caſuum nodos aut in *ſolis* SS. Patribus ſolutos aut ex iis *ſolis* ſolvendos & *ſine labore* quidem & à *quolibet* perſuadere nobis velit; age dic ſodes materiam gravem in genere furti quam nobis ſtatuis ex ſolis SS. Patribus? age ex iiſdem ſolis peccata omnia numericè, & ſpecificè diſtingue: impedimenta matrimonii tam dirimentia quam impedientia tantum, ſuo ordine exhibe omnia; quid ais? cenſus perſonalis licitus eſt, an non? nihil

uſuræ

uſuræ ſubeſt Cambiis Francofurtenſi, Placentino, Veneto? nihil injuſtitiæ præſcriptiones continent? totam porro emptionis & venditionis rationem explica, & ex ſolis PP. omnia. Hem tibi autem, Montes Pietatis in Belgio eriguntur: anceps de juſtitia ſtat opinio, hærent Viri doctiſſimi, conſultant Epiſcopi Provinciæ Mechlinienſis, Lovanienſes Doctores à ſe mutuò diſſident: quid autem dubii hæretis? en vobis Macarium, triginta annos nondum habet & ex ſolis Patribus hac difficultate vos *ſine labore* expediet. Imò, imò inquit ex his & ſexcentis aliis ſoli SS. Patres & ſtudioſa eorum lectio nos expedient. *Quid enim fecere Confeſſarii antequam Scholaſtici prodiere? .... nonne & tunc iidem propemodum Conſcientiæ caſus à Confeſſariis fuere reſolvendi? nonne & tunc Confeſſarii debuerunt eſſe inſtructi ad regendas ſibi ſubjectas animas? nonne & tunc debuerunt ſcire omnia quæ ad regendas animas ſunt neceſſaria? omnino planè ..... at undè tunc ſibi illam ſcientiam & talia neceſſaria acquiſiverunt? non à Scholaſticis, cum necdum lucem aſpexiſſent; non immediatè à Deo cum ad miraculum non ſit confugiendum; reſtat ergo, quod illam hauſerint ex puris ac limpidis fontibus S. Scripturæ, Conciliorum, Canonum & SS. PP. adeóque omninò fatendum eſt, quod ex illis ſcientia illa haberi poſſit, quia alias fatendum, quod tunc Eccleſia fuiſſet deſtituta medio neceſſario regendi ſibi ſubjectas animas, nempe illa ſcientia, quæ ex fontibus citatis hauriri non poſſet; at hoc de divina Chriſti erga*

 ſpon-

oblivionis; in ipſa enim epiſtola ſua ad Innocentium XI. Apologetica, & Tyrocinii ſui aculeata in Adverſarios defenſatrice, mirum! dum ipſum Pontificem alloquitur, dum Sanctiſſimis ejus pedibus ſupplex advolvitur etiam tum Pontificis non recordatur & *nulla*, inquit cap. 1. pag. 14. *eſt certior regula, quâque facilius in materia fidei, & morum errorem effugere poſſimus, quam ſi ſtudiosè attendamus, quid antiquitati, SS. Patribus, traditionibus, & priſcis Eccleſiæ moribus atque inſtitutis conveniat.* Audis? altum etiam hic de Bullis Pontificum ſaltem modernorum ſilentium, & tamen Pontificem alloquitur: ſed veniat nobis magis Pontificius Theologiæ Profeſſor, & ſaniorem præſcribat regulam: *quare iſtac filiis genuinis præfixa eſto regula: credere quod Mater* (Eccleſia) *& credidit & credit, amplecti doctrinam, definitioneſque, quas tradidit olim & tradit hodie: fuit hæc priſca Mater fidelium omnium, eſt & moderna.* Tum Macarianam regulam opponit & ita proſequitur ut ſimul Magiſtrum detegat, à quo tam Romanè loqui didicerit, & *ut non cenſurem*, ait, hanc Macarii regulam, *hoc unum quæro cur non addiderit quid recentibus Pontificum Decretis, moribuſque modernæ Eccleſiæ conveniat. An ſi quid Innocentius XI. imitatus X. ſtatuerit ſumma autoritate nón erit attendendum? non eſt ergo approbanda regula: hauſta videtur ex magno quodam Magiſtro* (Cornelio Janſenio) *qui libro ſuo proœmiali cap. 9. col. 24. hos Theologiæ Chriſtianæ Cancellos ponit,* di-

dicens : ARBITROR S. SCRIPTURÆ LIBRIS , CONCILIIS , ET PRIMORUM SÆCULORUM PATRIBUS NOS CONTENTOS ESSE DEBERE. *An ergo non indigemus tot Pontificum tum veterum, tum recentium Decretis , ſtatutis, definitionibus ? hoc dixero unum : non habebit Deum Patrem , qui Eccleſiam etiam modernam noluerit habere Matrem.* Ita R. P. Philippus de Vos S. J. in Theſibus ſuis 7. Februarii 1678. Theſi 2.

Ego redeo ad argumentum , & ſuis Macarium verbis aggredior , ſuis eum caſſibus & laqueis irretitum , Dialecticis ludibrium facio. Age Macari , quo tu argumento Scholaſticos omnes exulare vis , hoc eodem ego ipſos SS. Patres & antè alios Auguſtinum exilii comites dabo Scholaſticis à te relegatis : *quid enim fecere Confeſſarii antequam* SS. PP. & ipſe Auguſtinus *prodiere ? nonne & tunc iidem propemodum Conſcientiæ caſus à Confeſſariis fuere reſolvendi ? nonne & tunc Confeſſarii debuerunt eſſe inſtructi ad regendas ſibi ſubjectas animas ? nonne & tunc debuerunt ſcire omnia , quæ ad regendas animas ſunt neceſſaria ? omninò planè. At unde tunc ſibi illam ſcientiam, & alia neceſſaria acquiſiverunt ? non* à SS. Patribus non à S. Auguſtino *cum necdum lucem adſpexiſſent ; non immediatè à Deo cum ad miraculum non ſit confugiendum : reſtat ergò quod illam hauſerint aliunde quam ex SS. Patribus & S. Auguſtino , adeòque omninò fatendum eſt* quod aliunde quam ex SS. Patribus & S. Auguſtino *ſcientia illa haberi poßit , quia alias fatendum foret , quod tunc Eccleſia*

fuiſſet

fuiſſet deſtituta medio neceſſario regendi ſibi ſubjectas animas, at hoc de divina Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam, quam ſanguine ſuo fundavit, providentiâ quis ſuſpicabitur? vides Macari quam tecum tu ipſe pugnes? vides miſer Dialecticе hac parte Theſim ſubrui tuam, qua eam volebas adſtruere? vides imperite Bellator telum in Adverſarios nimis fortiter jactum in teipſum reſilire? vides deniqúe inepte SS. Patrum & Auguſtini imprimis defenſor, per Scholaſticorum latus, ipſos SS. Patres à te & ipſum Auguſtinum feriri. Videamus nunc, quod dicebam alterum, & pro quo gratias modo agebam, arma à te mihi porrigi in totius Bajo-Janſeniſmi (qualis hodie dum gliſcit) ruinam; nam quæ eſt iſta veſtra adminiſtrandorum Sacramentorum tam nova ratio ac forma? quæ tam novitia methodus, & recens ſomniata Praxis? certè, ut de undecim primis ſæculis litem ne moveamus, tu fateris ipſe, & tecum pariter D. Gummarus & P. Gabriëlis non uno fatentur in loco, abolitam eam ſex propè jam Sæculis nuſquam in Eccleſia gentium in uſu fuiſſe, adeoqúe tot annorum centuriis Eccleſia deſtituta fuerit neceſſario Sacramentorum adminiſtrandorum ritu. *At hoc de divina Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam, quam ſanguine ſuo fundavit, providentia quis ſuſpicabitur?* At neque illud diſſimulemus: Scholaſticos omnes, omnes Caſuiſtas Bibliothecis ſuis Novaturientes ejecerunt; ſit ita ſanè, explodent facilè illi ridiculum exilium; dummodo in

eorum locum SS. Patres ſuccedant. . Id verò ſatis æquo animo quis ferat ? eorumdem locum & antiquam adeò poſſeſſionem invaſiſſe natos heri libellos, pleroſque aut damnatos ipſos, aut ſimilis furfuris cum damnatis. Nam ex quo tempore pſeudo-Aurelius iſte Gallicus, & ex quo Auguſtinus non Hipponenſis,ſed Iprenſis in SS.Patrum Canonem relati ſunt? quid, P. Gabriëlis ubi demum Canonizatus? niſi fortè in turba Racematoria, certè ubivis potius, quam Romæ. Porrò D. Gummarus? in patritia illa Bibliotheca, undè eliminatur qui S. Pater non ſit, quâ demum Apotheoſi locum meritus eſt? an Toletanâ? ut nihil jam dicam de Rituali Aletenſi à Clemente IX. igni adjudicato; nihil de litteris Ludovici Montaltii,& ſexcentis aliis, quorum Catalogum videre curioſius qui volet, adeat Elenchos librorum prohibitorum in Decretis præſertim Innocentii X. 23. Aprilis 1654.& Alexandri VII.6. Sept. 1657. hi ſcilicet hi ejectis & triumphatis quaſi Scholaſticis campo hoſtili in ſignum victoriæ potiuntur: ubi nunc es Havermanne SS. Patrum defenſor, euge, ſi acceptor Perſonarum non es, cur in eos exilii ſententiam non æquè pronuncias, cur illud tuum non occinis; *quid fecere Confeſſarii* antequam liber de frequenti communione, antequam Moralis Gabriëliana,àntequam Gummari Methodus *prodiit nonne & tunc* .... &c. at alia de his nempè canis omnia, & pleno ore, ut poſt videbimus, tamquam è Cælo lapſa opuſcula deprædicas: nonne rectè ante divinabam? hos

hos eſſe SS. Patres quos tam ineptè defendis, quorum lectionem tam aſſiduè commendas, in quorum gratiam optimè de re chriſtiana meritos Scholaſticos æternis tenebris addicis.

Meliora de Caſuiſtis S. Carolus Borromeus Mediolanenſium Antiſtes & S. R. Eccleſiæ Cardinalis (aures arrigite Scholaſtico-maſtyges) *omnes Confeſſarios* (inquit apud Franc. Reymakers pag. 29.) *quamvis à nobis ut idonei ſemel admiſſi fuerint, tamen ob graves & diverſos ſcrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates ſibi cohærentes habent, præmonitos volumus, ut bonos & claſſicos Autores nonnullos, qui caſus Conſcientiæ ex profeſſo tractant, manibus* CONTINUO *terant.* Meliora etiam Synodus Mechlinienſis tit. 5. de Sac. Pœnit. c. 5. *magnâ oportet eſſe inſtructum ſcientiâ, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet. Ideò Confeſſarii, quibus non hominis ſed Dei judicium exercendum eſt, & quidem de animabus pretioſo Ieſu Chriſti ſanguine redemptis, lectioni eorum librorum undè* NECESSARIAM (nota *neceſſariam* ergo non ex ſolis SS. PP.) *ſibi ſcientiam hauriant, diligentiſſimè vacare merito debent; utpotè directorii Polanci, Manualis Navarri aut ejus compendii, ſummæ Toleti, Enchiridii Binsfeldii, & ſimilium:* ades huc Gummare, qui totam contrà Caſuiſtas Methodum tuam ſcripſiſti, quia circulari epiſtolâ (ut de te teſtaris in præfatione ad Lectorem) Confeſſarios ſui muneris commonefecerat Ampliſſimus D. per Archi-diœceſim

noſtram Mechlinienſem (ſede id temporis vacante) Vicarius; ades & tantum ſaltem non uni Vicario, ſed toti Archiëpiſcopali Synodo defer ut aliquanto in Caſuiſtas mitior paululum de privato in eos odio remittas, ſed fruſtrà moneo, qui non vivum Gummarum citius, quam Macarium mortuum Caſuiſtis & Scholaſticis amicè conciliem; facit id, prædominans Viri caritas.

CAPUT QUARTUM.

CUNICULI TRIUM-VIRORUM ad Subruendum penitus Pœnitentiæ Sacramentum.

OBSERVATIO PRÆAMBULA & totius Capitis fundamentum.

OBſcurum non eſt, quo Sacramenti Pœnitentiæ fato, & cujus potiſſimum conſilio, & hortatu, id fieri meminerimus, ut nemo quiſquam noviſſimis hiſce Eccleſiæ temporibus ab ejuſdem Eccleſiæ Catholicæ unione impius Apoſtata deſciverit, qui non eâdem impietate Sacramento Pœnitentiæ tam neceſſario, & ſecundæ

poſt naufragium tabulæ, bellum Sacrilegê indixerit. Expertus nimirum jam inde à primis Eccleſiæ incunabilis ingenti ſua & continua propè clade fuerat Dæmon, non tantum ſibi à reliquis ſimul omnibus, quantum ab hoc uno Sacramento damni calamitatiſque infligi, Baptiſmus quidem ſub diaboli jure natas animas in Chriſtianam filiorum Dei libertatem aſſerebat; at ſemel ille collatus repeti non poterat, & facilè interea erat callido præſtigiatori in tanta præſertim corruptæ naturæ, & in malum proclivis infirmitate extortam per Baptiſmum ſuis unguibus prædam recipere, & ſuæ ſervituti proprio jam peccato habere obnoxiam. At enim, quæ Chriſti fuit in impios incredibilis quædam, & verè divina benignitas, humanæ ſaluti per Pœnitentiæ Sacramentum abundè conſultum eſt, ut adeò ad manum præſto ubique, & ſemper adeſſet cæleſtis medicina, ubi quotidiana propè infligerentur vulnera; hoc malè ſcilicet habebat humanæ ſalutis invidum, & juratum hoſtem, non ſe ſatis poſſe nocere & ita deniqûe vincere dum vinceret, ut nec victoriâ gaudere diu ſæpè poſſet, & novam ſemper ac novam ab hoc mortuorum Sacramento cladem timere deberet. Ergo hanc veluti impiorum arcem, mille quatere machinis, mille artificiis evertere conatus, ſcrupulis, & anxietate fidelium animos inquietavit, diabolicam quandam pudibundis mentibus verecundiam afflavit, ut quod impiè facere non erubuerant, id eos piè & humiliter confiteri puderet. Ita ipſe

ipſe inteſtina bella ipſis dum movet in animis, ut certius ſubruat, exteriorem placuit addere impetum, & Hæreticos ſui furoris ſocios & miniſtros, in hoc ipſum Sacramentum mille armavit mendaciis: negent à Chriſto inſtitutum, primitivæ Eccleſiæ dicant incognitum, recens mentiantur eſſe inventum, carnificinam vocent conſcientiarum: nam hæc & his plura, ſuperioris ſæculi peſtes & perdita Eccleſiæ buſta, Calvinos, & Lutheros, blaſphemo ore effutire docuit mendaciorum pater: nec nihil ſanè profecit. Non pauci his deluſi præſtigiis ab Eccleſia Romana pariter & hoc Sacramento, miſerabiliter defecerunt: miſeri! qui ſibi ipſis tantum præſidii eripuerint. Felici adeò ſucceſſu tumidus, pergit confidentius, ut & in ipsâ, ſi poſſit, Eccleſiâ Sacramentum hoc eat abolitum; ſed hoc opus, hic labor; nam qui apertius hodiè aliquid contrà illud hiſcere audeat, is Romano-Catholicis continuo Hæreticus ſit. Quid ergo? quod aperto marte non poteſt, ſtratagemate tentabit: & ut eſt in omni bellandi genere verſatus, non conſpicuis modo machinis pugnare novit, ſed tectos etiam infrà terram cuniculos ducere: & invenit ſuos etiam cunicularios, nec rudes eos ſanè, ſed qui omnes ſuæ artis partes apprimè calleant *Diſſumulare cautè & nihil minus agere videri, quam quod agunt.*

Nec vacat nec lubet primos in hoc genere Magiſtros altius repetere, quod ſatis mihi nunc eſt communem Triumvirorum, quos impugno, Magiſtrum è clandeſtino ſuo con-

conventiculo Gallicano manifeſtam traham in lucem, eſt is famoſus ille, & Trium-viris meis primis in amoribus, & Gallicum ipſi Janſenio oraculum Joannes Vergerius Sancyranus Abbas; ſatis eſt virum nominaſſe, Lector, ut jam inde animo proſpicias, quam non Catholicum de Pœnitentiæ Sacramento dogma ab homine hoc expectare debeas, qui eo impietatis delapſus eſt, ut ipſam Catholicam Eccleſiam bicipitem comminiſci auſus ſit, & vulgares Epiſcopos controverſiarum fidei judices fecerit Romano Pontifici pares. Conventiculi porrò hujus hiſtoriam, & ſingulos ejus Canones, Chriſto Domino inprimis injurioſos, ejuſque Sacroſanctæ incarnationis penitus deſtructivos refert fideliter, & toto capite ſecundo ſtudiosè proſequitur in relatione ſua juridica hortatu & juſſu Galliarum Reginæ typis excuſa Joannes Filleau Juris utriuſque Doctor, Eques torquatus, Conſiſtorianus Comes & Regius apud Pictavos Proto-patronus; adeat hunc, qui ad omnes peſtiferi hujus cætus in Chriſtum blaſphemias curioſior eſt, ego, quod ad propoſitum nunc quidem ſatis eſt, decreto uno contentus ſum, quod in Sacramenti Pœnitentiæ ruinam Sacrilegè conceptum, ita quoad ſenſum legitur: *Cautius eſſe cum hoc Sacramento agendum, quam Hæretici hactenus egerint; non eſſe iſtud perfricta fronte Hæreticorum more negandum apertè, ſed cautè & clanculum, & ſubdolè rem agendam: Sacramentum ipſum miris extollendum præconiis, ſed uſum ejus moleſtum adeò, ac perdifficilem* red-

reddendum, majoribus ſemper ac majoribus alligandum oneribus, donec rarus primò, dein nullus etiam ſit uſus, & lividi fidelium humeri tot oneribus ferendis impares ſub tanto pondere & fatiſcant miſeri, & difficile illud Sacramenti jugum ſua ipſi ſpontè penitus excutiant. Obſecro, Lector, quid eſt cuniculos velle fodere ſi hoc non eſt; certè ex eo tempore operi ſe accinxerunt Vergeriani; at res nec unius anni, nec fatalis urbi Troianæ decennii erat. Ergo viſum eſt Patribus conſcriptis clandeſtinum novæ conjurationis bellandi modum deſcribere, ſtratagemata omnia, &, quorum in hoc pugnandi genere ut prorſus neceſſarius, ita frequentiſſimus & utiliſſimus uſus erat futurus, cuniculos ſingulos delineare. Curam hanc in ſe ſuſcepit Joannes Vergerius Sancyranus Abbas totius conventiculi aut ſolus aut cum Collega Janſenio alter potius Præſes; credibile enim eſt, qui bicipitem Eccleſiam comminiſcebatur, ad eandem cum Eccleſia formam, bicipitem Synodum celebrare voluiſſe, in qua de Janſenio & Vergerio verum eſſet, quod in Eccleſia de Petro & Paulo non impunè, nec ſine fulmine Romano mentita eſt factio; *duos eſſe præſides, & geminum verticem qui unicum caput conſtituunt.* Atque hæc prima libri de frequenti communione origo eſt, ubi omnia tecta ſunt, omnia diſſimulata: ſub Arnaldi nomine latet Vergerius. *De frequenti* communione ſpecioſè inſcribitur, *de nulla* debuerat; at ut dixi primum Cunicułariorum id effatum eſt, & turpè ſanè eſſet id Magiſtrum

ignorare,

ignorare, *nihil videri minus agere quam quod re ipſa agas.* Tu porrò, Lector, artificium mirare, & exteriori ſpecie cave circumveniaris: Cunicularii ejuſmodi hodièdum etiam ſunt. Jurares nihil eſſe magis Catholicum; Sacramentum Pœnitentiæ, Hæreticos contra, à Chriſto inſtitutum eſſe, acerrimè contendunt; primitivam Eccleſiam ejuſque Pœnitentiales Canones plenis buccis deprædicant; ſed, heu heu! (atque hic veluti lacrymantia tergunt lumina) refrixit primus ille vigor, & fervor? antiquus ille & pius Sacramenti uſus in miſerabilem abuſum, & in totidem propè Sacrilegia degeneravit; ipſe Sacramenti inverſus eſt ordo; Eccleſia (nam quid agat pia Mater) filiorum infirmitati indulgens invita tolerat, & connivet, ſed ita connivet, ut ſummopere deſideret accreſcente iterum fidelium caritate antiquam praxim in Eccleſia reſtitui, quot voces, tot, ita me ſuperi ament, ad ipſum Sacramentum ſubvertendum cuniculi ſunt. Id hoc capite ago, & ductos infra terram à Trium-Viris meatus pœnitentiæ deſtructivos, ne noceant feliciter detego, & eo diligentius quod, qui conſpicuas palam machinas adhibet Hæreticus, repelli facilius poſſit cum videatur; qui cuniculis rem agit quanto tectius latet, tanto certius noceat. Nolim tamen hanc mihi laudem quaſi primam aut propriam vindicare, quod eorum fraudes ac cuniculos detexerim, indicium ante dederunt & facem prætulerunt Franciſcus Simonis, Carolus Reymakers, Cornelius

O Zeghers,

Zeghers, aliiq́ue ejuſmodi ſeduli & ſagaces Sacramenti Pœnitentiæ defenſores.

SECTIO PRIMA

Cuniculus primus quo ſubruatur Sacramenti forma ſeu Abſolutio.

ABſolutionem, Sacramenti hujus formam eſſe, & in ea, ut in reliquis compoſitorum formis omnibus, præcipuè ejus vim ſitam eſſe, nemo quiſquam negaverit, qui quidem Sacroſanctæ œcumenicæ & generalis Tridentinæ Synodi in Spiritu Sancto legitimè congregatæ decreta, Chriſtianâ, quá par eſt, reverentiâ veneratur: quare, qui quidem Catholicus videri velit, duriuſculè nihil contra eam definire palam auſit: nam quod auſus id ſit Sancyranus Abbas, communis, ut dixi, Trium-Virorum meorum Magiſter, & Claſſicus apud eos cum Janſenio Auctor, mirari is deſinet, qui in juridicis contra eum actis legitimè teſtatum legerit, quam parum Catholicè de Tridentino Concilio ſenſerit, dum *eam à Papa & Scholaſticis Synodum frabricatam* dixit *à quibus de ſincerâ Eccleſiæ doctrina plurimum immutatum eſſet.* Ita qui ſentit, ac loquitur, fieri ne poteſt, ut non ejus ſuſpecta ſint omnia? quid autem ſuſpecta? Imò verò ea eſt viri hujus apud Trium-Viros noſtros opinio, & autoritas, ut non tam in Scholis

pueri

pueri autores, quos ſibi habent propoſitos, pueriliter imitari gaudeant, quam ipſi ex Vergerianis libris integras propè paginas deſcribere geſtiant: ut adeò meritò Sancyranum claſſicum eorum autorem vocaverim: ſed id nunc non ago, egerunt id alii ante me, & luculenter; ego, quos ipſe ad ſubruendam penitus abſolutionem cuniculos delineavit, impigro eos, ac indefeſſo labore fodere, doceo, ac demonſtro. Tu mecum, ſi vacat Lector, ſubterraneas eorum foveas ingredere, nec mirare ſi obliquis viis incedendum ſit; habent hoc cuniculi ex arte facti, ut nullâ certâ lege per anfractus ferè, & obliquos meatus ducantur.

ARTICULUS I.

Primus primi cuniculi anfractus. Abſolutio Sacramentalis danda non eſt niſi pœnitentialia praviè & ſatisfactoria opera ipſe Pœnitens ritè præſtiterit.

EST quidem hoc ab hodierna modernæ Eccleſiæ praxi prorſus alienum, ut ipſi fatentur, & fateri omnino debent Trium-Viri; ſed tamen non planè deſperant eam ſe adminiſtrandæ Pœnitentiæ rationem paulatim poſſe intrudere, ſi id modo rudioribus & ſimpliciori plebeculæ perſuaſerint, antiquam eam eſſe primitivæ Eccleſiæ praxim, & poſterioribus ſæculis in laxiorem, quam hactenus

videmus & miſerabiliter illi deplorant, formam connivente piâ Matre Eccleſiâ degeneraſſe: id autem ſtudioſius ut agant novaturientibus labiis unam ſonant antiquitatem; Primitivæ Eccleſiæ deſiderium, modernæ autem faſtidium, Chriſtianorum animis afflare ſtudent: ſubdolum artificium, & fallendæ plebi perquam accommodatum. Unde id porro hauſerint, neſcio, id ſcio, antiquum id jam à multis ſæculis habuiſſe Hæreticos unam ſonare antiquitatem, præſentis autem Eccleſiæ deplorare tenebras. Videri poteſt Franciſcus Simonis de Hæreticorum fraudibus parte 2. fraude 4. ubi erudite notat *nomen ipſum antiquitatis longe* eſſe *aptiſſimum, ut errorem populo faciat probabilem.* Addo ego non aliud verſatilis & ad nova prurientis ingenii indicium eſſe manifeſtius, quam quæ vides & habes præſentia temerè faſtidire.

§. I.

FUIT ILLA PRIMITIVÆ Eccleſiæ praxis: & praxis hodierna, ipſâ Eccleſiâ invitâ & tantum connivente, refrigeſcente caritate, nec ritè nec legitimè intruſa eſt.

HUc communi ſtudio, & pari conſenſu collimant Gabriëlis, Macarius, Gummarus: nec rem tantum

dicunt

dicunt eandem, ſed iiſdem propè verbis concipiunt: eoſdem fucos, & pigmenta adhibent, ut adeo unâ eos manu, uno ligone, cuniculum hunc fodere meritò credas. Videamus. P. Gabriëlis in Morali Diabolica pag. 154. ita ſibi objicit: *quod ſi hæc ita ſe habent, cur ergo Eccleſia moderna non curat practicari Pœnitentiam, pro quolibet peccato mortali, ante Abſolutionem? ad quam*, inquit, *objectionem reſpondetur: Eccleſiam in nullo Concilio univerſali aut particulari approbaſſe praxim mox abſolvendi poſt confeſſionem criminum, nullâ prævia ad Abſolutionem factâ Pœnitentiâ.* Locum hunc non admodum Romanis placuiſſe vel ex eo conficias, quod mitigatus paululum legatur in ſpeciminibus, poſt primam eorum condemnationem ab autore correctis, & Romæ excuſis, altero tamen poſtea Romano iterum fulmine perituris. At enim eadem hæc ſententia cruda adhuc, nec mitigata perſtat iiſdem verbis integra in libro D. Havermans, cui titulus *Examen Pentalogi Diaphorici* pag. 297 (idem dicit pag. 429.) *cum in nullo Concilio univerſali aut particulari modernam adminiſtrandi hoc Sacramentum praxim* (Eccleſia) *approbaverit.* Et quod in P. Gabriëlis graviter adeò Romanis diſplicuit etiam mitigatum, & correctum, id iiſdem Romanis crudum, & incorrectum in Havermanno placuiſſe (ut vult ſcheda funebris) aut placiturum putamus? pergit Gabriëlis *ſed refrigeſcente paulatim charitate, à tribus aut quatuor*

ſæculis

ſæculis antiquus rigor eſt relaxatus. Et illum etiam locum correctum dedit Romana editio : at neſcit hactenus correctionem D. Havermans, & *Praxis*, inquit ibidem, (primitivæ Eccleſiæ) *refrigeſcente Chriſtianorum charitate in Eccleſia deſiit à quatuor ſæculis circiter.* Tuam fidem Lector, an ovum ovo vidiſti ſimilius? quid autem poſtea? *Hanc praxim*, inquit fulminatus Gabriëlis, *pia Mater Eccleſia filiorum infirmitati indulgens tolerat.* Hæc verba omnia ſimul ac ſemel Romana ſpongia delevit; interim nihilo timidius Macarius aſſerit primitivæ Eccleſiæ praxim *connivente tantummodo Eccleſia* deſiiſſe. Manifeſte, opinor hinc datur intelligere non modo Macarium gruis inſtar ſequi P. Gabriëlis, atque adeò mirum eſſe ſi ipſius doctrina ab omni nævo inventa ſit pura, quæ cum Gabriëlianâ prorſus eadem in Gabriëlis repetito fulmine Romanis ignibus bis conflagravit, verum etiam id unum eos clanculum agere, ut Abſolutioni Pœnitentialia & ſatisfactoria opera præmittantur. Non id inquies dicunt; fateor, nam id apertè ſi dicerent Cunicularii non eſſent. Sed amabo quorſum hæc omnia? Eccleſiam in nullo Concilio univerſali aut particulari approbaſſe praxim mox abſolvendi nulla præviè ad Abſolutionem factâ Pœnitentia? praxim primitivæ Eccleſiæ & antiquum rigorem refrigeſcente paulatim Chriſtianorum Charitate à tribus aut quatuor ſæculis relaxatum in Eccleſiâ deſiiſſe, idque, à connivente tantummodo piâ Matre Eccleſiâ & filiorum infirmitati

indul-

indulgente tolerari. Quorſum inquam hæc omnia, aut quo denique reſpiciunt? Jam verò nec votum ipſi ſuum aut deſiderium diſſimulant,quamquam & diſſimulant,nuſquam enim aut Vergeriani in conventiculo Gallicano moniti, aut ſe cunicularios eſſe obliviſcuntur. Tam Sancyrani ſcilicet & Janſenii ſemper memores, quam Pontificum & eorum decretorum ſæpè obliviosi. Summopere, inquit Macarius, *deſideraret* moderna Eccleſia, hoc eſt ipſe Macarius) *accreſcente iterum fidelium charitate antiquam praxim in Eccleſiâ reſtitui*: præiverat Gabriëlis & ſuum quoque ſub Eccleſiæ nomine deſiderium palliarat, in Morali Diabolica pag. 155. (nam in altera eâque à ſe correcta editione id totum expunctum eſt; cur expunxerit autem ipſe ſcit, ego facilè aſſequor) *quantum deſideraret Eccleſia moderna* (nos Patrem Gabriëlis cogitemus) *non ſolum pænitentiam veram peragi, ſed priſtinum Pænitentiæ ordinem ſervari.* Quis autem priſtinus iſte erat Pœnitentiæ ordo? jam ante eum pag. 123. novaturientibus ſuis Ideis ita conceperat: *ut primo peccator accederet Sacerdotem, eique vulnera ſua, ſeu morbum peccati detegeret, & remedium Pænitentiæ ab ipſo peteret, ſecundo ut Sacerdos peccatori Pænitentiam imponeret: tertio ut peccator pænitens illam impleret: quartò ut Sacerdos pænitentem impletâ pænitentiâ abſque relapſu abſolveret.*

Accedit centum in locis Eximius Dominus Gummarus & ſimiliter cuniculo huic perficiendo inſtat: ſummis labris delibemus aliqua. *Antiquæ pænitentiæ teſte Morino*, ait circà

circà finem præfationis Apologeticæ ad tractatum tertium, *juxta certos Canones per tredecim, vel ut alii duodecim ſæcula, fuerunt obſervatæ in Occidente, & uſque modo ſervantur in Oriente. Si dixerint* (adverſarii) *has pœnitentias converſis ſolummodo in ſatisfactionem fuiſſe injunctas, aſt convertendis nullatenus in præparationem ad ſuam converſionem, ſive ut ad converſionem ritè diſponerentur: ſi, inquam, hoc dicant, nullo negotio redarguuntur: nihil enim clarius vel inſpicienti ſolum antiquos Canones: ecce unum è mille cui in Conc. Tolet. III. ſubſcripſerunt Hiſpaniarum & Gallıciæ Epiſcopi*: & idem clarius in imbelli Apologiâ pag. 9. *quod Pœnitentiæ Canonum ſolerent Abſolutionem Sacramentalem antecedere, probat imprimis Canon. XI. Conc. Tol. III.* & pag. 2. *ex hoc*, inquit, *Canone habetur quod Concilium iſtud doceat hanc* (QUOD NIMIRUM PÆNITENTIA PRÆCEDAT RECONCILIATIONEM) *eſſe formam Antiquorum Canonum: quare non putem neceſſum, ut plures Canones allegem ad probandum falſitatem hujus & ſimilium aſſertorum ab Autore Reſponſionis brevis: negatur quod in priſca Eccleſia tot annorum pœnitentiæ debuerint præcedere Abſolutionem Sacramentalem: item ex Canonibus Pœnitentialibus ad ſummum habetur, quod ipſorum tempore non dabatur Communio, niſi præviâ longâ pœnitentiâ; & addit: ita quidem ut illa Pœnitentia Abſolutionem præcedere non debuerit*: impotentius in adverſarium fertur pag. 12. *dixerit adhuc Rev. Veſtra*

quod

quod Canones Pœnitentiales tantum præſcripſerint pœnitentias pro foro externo: addat ſi auſit quod ſolum pro peccatis publicis. Aſſerat inſuper ſine notâ imperitiæ, quod Pœnitentiæ dumtaxat debuerint peragi poſt Abſolutionem Sacramentalem. Et paulo poſt, *an ipſam Eccleſiam argues, quod peccatorem perceptâ voce* Doleo, *aut* Singultientem, *non illicò abſolverit?*

Expectas hîc fortè, Lector, & locus certè admonere videtur, ut primitivam Eccleſiam, & antiquum Sacramenti Pœnitentiæ uſum ab eorum mendâciis vindicem; ſed id ego ſequenti Capite commodius acturus, aliud nempè in præſentiâ habeo propoſitum, & cuniculos hoc Capite, non mendacia detegens, quod ad propoſitum nunc quidem ſatis eſt, quid dicant, non quam falſa dicant conſidero, & eorum ſagaciter veſtigia attendens, quo deniqùe vadant, non quam turpiter claudicent, obſervo.

In hanc ergo ſententiamTrium-Viri noſtrì digni ſanè Sancyrano Magiſtro diſcipuli iiſdem propè,ut vidimus, verbis, & eâdem formulâ jurant:jam inde à primo ſui exordio Eccleſiam per duodecim circiter ſæcula Abſolutioni Sacramentali pœnitentias Canonicas præmiſiſſe, & à tribus dumtaxat aut quatuor ſæculis, refrigeſcente paulatim Chriſtianorum caritate, antiquum illum Pœnitentiæ rigorem relaxatum in Eccleſia paulatim deſiiſſe; atque adeò novellam modernæ Eccleſiæ praxim ab antiqua illa duodecim ſæculorum

Sacramenti adminiſtratione longis diſtare intervallis, atque hanc quidem novitiam methodum non approbante Eccleſiâ inductam, ſed connivente & filiorum infirmitati piæ inſtar Matris indulgente, & *tenellius* (ut anno 1672. ante Trium-Viros loqui placuit autori compendioſæ deductionis pagina 78.) *filiis abblandiente* intruſam, uſque adeò coactè tolerari, ut ſummoperè interim deſideret, antiquum illum, & priſtinum Pœnitentiæ ordinem, accreſcente iterum fidelium caritate reſtitui, & ad primum ſuum vigorem poſtliminiò revocari. Atqui hoc eſt quod initiò articuli dicebam ipſum, & nunc in cauſa manere velim ex Vergeriana Trium-Virorum noſtrorum mentè ABSOLUTIONEM SACRAMENTALEM DANDAM NON ESSE NISI PÆNITENTIALIA PRÆVIE ET SATISFACTORIA OPERA IPSE POENITENS RITE PRÆSTITERIT.

§ 2.

UNIVERSIM OSTENDITUR quid cuniculi lateat ſub ſpecioſo primitivæ Eccleſiæ nomine.

NOn obſcuram §. præcedenti facem accendimus ad has & ſimiles tenebricoſas primi cuniculi latebras illuſtrandas; qui enim id eos unicè optare ſub Eccleſiæ nomine, & deſiderare audivimus, ut antiquâ Eccleſiæ praxi reſtituâ priſtinus Pœnitentiæ ordo etiam hodièdum ſervetur, dubi-

dubitare non poſſumus quin eam adminiſtrandi Sacramenti rationem hodiernum in uſum velint revocatam, quam in primitiva Eccleſia oberſervatam ſedulo fuiſſe, ad nauſeam uſque, & faſtidium, ſingulis propè paginis occinunt; ut adeò qui cæcus omninò non ſit facilè ad hujus faculæ lumen omnia, quantumvis abdita, novaturientis doctrinæ myſteria ſit perſpecturus; neque enim alliud neceſſe habet quam ſpecioſam illam primitivæ Eccleſiæ larvam detrahere, & quæ de illa magnificè jactant, & apertè deprædicant, tacitè de ſua ipſorum, quam ſomniarunt, methodo intelligere. Eſt enim hoc Cunicularriorum noſtrorum, & ſubtilè ſanè artificium, novam, quam quidem iis lubuerit, adminiſtandæ Pœnitentiæ praxim, in ſuo cerebro fabricare: tum, ut inviſam, & hæreſeos ſuſpectam novitatem cautius obtegant, primitivæ eam Eccleſiæ per inſignem impoſturam affingere; atque ita natis heri, & domi ſuæ mercibus, à fictitiâ quâdam antiquitatis ſpeciè, pretium nequitur conciliare. Nec hunc tamen cuniculo ſuo terminum ſtatuêre, profundius & longius rimantur, & nova cerebri ſui figmenta, jam venerandæ Antiquitatis credita monumenta, ſub primitivæ Eccleſiæ nomine paulatim intrudere; hinc mirum videri non debet, ſi ita unam Antiquitatem deperեant; ſuam ſcilicet in heſterna illa Antiquitate novitatem oſculantur.

At, inquiet aliquis, non eſt hoc ſincere ſatis agere

cum cordatis viris, & nimium eſt eſſe ſuſpicacem, & plura velle ex eorum dictis exſculpere, quàm ipſi cogitarint; utinam quidem! interim illud ſcio cum vulpibus eſſe vulpinandum, & hoſtiles cuniculos per oppoſitos cuniculos elidi; quare neque multum me movent publicæ illæ proteſtationes, quales paſſim in Trium-Virorum libris invenio, & ſolemnibus verbis ita concipit D. Gummarus, in præfatione Apologetica ad tractatum tertium: *quæ hic ... de Canonibus Pœnitentialibus dicta ſunt, nullatenus eo reſpiciunt, quaſi mea foret ſententia, quod Confeſſarii hodie debeant perinde ac olim illorum rigori inſiſtere: nequaquam is mihi eſt animus, quod uti in hiſce tractatibus non ſemel declaravi, ita & rurſus declaro.* Sed declaret centies, & amplius, & quoties volet; & cum Eximio Viro, ut faciunt, certatim declarent Macarius & Gabrielis: ignoſcant mihi ſi parum fidei habeam, qui non quid ſe agere dicant, ſed quid revera agant attendo. Nec fidem habuit Auctor Praxeos ſolidæ: & *hoc unum* inquit pag. 104. *apud ſenſatos obtinebit proteſtatione illa ſua, ut eum & pugnantia dixiſſe, & à Methodo ſua, quam re ipſa meretur, invidiam, fruſtra conatum amoliri pro certo habeant.* Et verò hoc iis non eſt novum, & hæreditarium id habent à parentibus ſuis; Profitebatur ſanctè eorum Patriarcha Janſenius & cum eo hodièque, quâ voce, quâ ſcripto, opportunè importunè profitentur Bajo-Janſeniani: homini etiam in ſtatu naturæ lapſæ liberum ſe concedere

arbi-

arbitrium, & hoc nomine à Calviniana factione ſe ſegregant, eoſque manifeſtæ hæreſeos inſimulant, qui id negare auſint; interim ſimplicem neceſſitatem humanis mentibus inducunt,& quam Catholicè loquuntur,tam Calvinianè ſentiunt; & ipſam humani arbitrii libertatem tum maximè tollunt & perimunt, cum eam ſe verbo adſtruere gloriosius jactitant. Mira me-herculè reſtrictio, & quam non Laxo non Probabiliſta probet ullus, & omnes manifeſtæ duplicitatis condemnent: verum quid tu his hominibus facias? Cunicularii ſunt, & quoties mihi hæc prima eorum rudimenta repetenda erunt *nihil minus agere videri quam quod re ipſa agant.* Quid quod ridiculi mihi eſſent in militia & inepti prorſus bellatores, qui in hoſtem cuniculos cum ducant, eos ſe ducere publicâ præconis aut tubicinis voce proclamarent: imô, ſi quid habeant militaris peritiæ, quibus poterunt modis, ita cautè rem agent, ut ne ad Adverſarios ulla etiam ſuſpicio tentati infrà terram meatus perveniat; & aliquâ profecto perveniret, ſi contrà quam re ipſa agerent in hoſtilibus caſtris proclamari curarent, nihil ſe ſub terra in hoſtes moliri; ut adeò ſuſpicioſus nimis videri non debeam, ſi ea ipſa tam ſolicita, tam crebro repetita hujus ſuſpicionis à ſe propulſatio ſuſpecta mihi ſit; ut ut eſt, in judicio nimis anxiè, operosè nimis crimen qui negat, propè ſe reum probat, & Poëta jam olim cecinit.

Qui nimium multis, non amo, dicit, amat.

ARTI-

ARTICULUS II.

Secundus primi cuniculi anfractus. Abſolutio Sacramentalis danda non eſt Conſuetudinario quamtumvis contrito.

NOvum Cuniculi primi anfractum ingredimur, Lector, nec uno paragrapho totum luſtrabimus, ita ſuos quoque flexus & habet hic anfractus, & variat. Hoc agitur ut Conſuetudinariis ad mortem uſque Sacramentalis differatur Abſolutio, quantumvis interim contrito corde ſacro Tribunali ſe ſiſtant, quantumvis humili pioque gemitu ſalutarem animæ medicinam ſuſpirent, quantumvis cum lacrymis, ac planctibus animæ ſuæ vulnera ſecundum numerum & ſpeciem omnia cæleſtî medico ſingultientes aperiant, quantumvis ſe promptos paratoſque ad quælibet remedia offerant, quantumvis denique veteres peccandi occaſiones ſic quaſi animæ ſcopulos, vitaturos ſe ſanctè promittant. Nec in eos tantum decretoria hæc fertur ſententia, qui miſerâ peccandi conſuetudine impliciti aliquoties interim ſuis illis lacrymis, ſanctiſque de ſe promiſſis Abſolutionem impetrarunt, quam cum nulla deinde vitæ in melius mutatio ſubſecuta ſit, juſta merito Confeſſariis ſuboritur cauſa metuendi

tuendi, ut ſincereores ſint, quam fuerant priores, novæ iiſdem oculis expreſſæ lacrymæ: ſed iis quoque hoc bellum indicitur, qui, cum ab ultima confeſſione ipſam peccandi conſuetudinem contraxerint, primam ejus accuſationem inſtituturi, integram ſuis dictis fidem, quam hactenus ſcilicet ipſi non fregerint, jure quodam ſuo exigere poſſe videntur.

Agunt id porro more ſuo omnino clanculum; quare non eſt quod ab iis expectes rotundè id & crudè aſſeri, *Conſuetudinariis ad mortem uſque abſolutionem differendam*: rude id nimium & aſperum foret, quam ut molliter à Catholicis auribus audiretur. Quid ergo? longius illud ad mortem uſque protractum ſpatium minutius in ſuas partes concidunt; tum, quod in ſpeciem non omnino abſurdè dici poſſe videtur, aliquam ejus temporis ita minutatim conciſi partem abſolutioni præmittendam palam pronunciant, quam quidem Conſuetudinarius ſub certa abſolutionis jam jam accipiendæ ſpe dum tandem peregerit, novam, ſi adverſarios bene novi, moram interponent, novo item colore adhibito cur id honeſtè etiam fieri & piè videatur; nec difficilè eſt fallaces ejuſmodi colores aut invenire, aut pro re & tempore aptè miſcere ac temperare, ut quibus omnis generis fucos & in hos ipſos uſus bellè compoſitos una Vergeriana officina abundè ſuppeditat, & ita gratis ut ne nominato quidem aut ſalutato pigmentario ſuos faciant. Nunc rem agamus.

§. 1. *AB-*

§. 1.

ABSOLUTIO SACRAMENTALIS conſuetudinario quantumvis Contritio danda non eſt, niſi vitæ præceſſerit notabilis & inſignis mutatio.

HÆc ſcilicet eſt prima temporis portio, quam in periculoſo ſuo morbo perdurare miſerè cogitur æger Conſuetudinarius; atque hoc dogma ita quidem novum eſt, ut intrepidè auſim contendere illud in ſanâ Theologiâ prorſus eſſe peregrinum, & nihil quidquam ejuſmodi Scholæ Principibus umquam ſuboluiſſe; unde ergo aut quâ fronte confidenter adeo novelli noſtri Trium-Viri, quam novas, tam peregrinas merces protrudunt? ſed ego jam ante digito officinam notavi, nec dubito, quin qui Vergerianis mercibus tam liberaliter utuntur, in frontem quoq́ue iverint Vergerianam. Hinc tanta quoq́ue eſt inter eos concordia, ut non dogma modo commune habeant, ſed eodem illud rationum fuco, & eâdem veri ſpecie colorent; in eodem ſcilicet ludo ejuſdem Magiſtri diſcipuli eandem hauſerunt lectionem. Quod quidem ne à me in eorum invidiam fingi credas, ſi vacat Lector, attende; faciam ego ſuam ſinguli lectionem audiente te recitent: ac primò quidem in Mo-

Morali ſuâ Chriſtianâ,ſed nigrâ illâ & fulguratâ, P. Gabriëlis de omnibus promiſcuè peccatoribus, adeoque à fortiori de conſuetudinariis ita pronunciat. *Altera ratio*, inquit pag. 129. *quæ movit SS. Patres ut* LONGO TEMPORE DIFFERRENT *abſolutionem criminum ſibi confeſſorum, fuit hæc; quod crediderint omnem hominem, qui à gratia excidit & inferno dignus effectus eſt, ante omnia debere adniti, ut ſecundum ordinationem Sacerdotis & precibus & lacrymis & omni genere bonorum operum flectat iram Dei, ut ſecundum Innocentium congruam exhibeat illi ſatisfactionem; ſecundum Leonem ſalubri ſatisfactione purgetur; ut deniquè juxta Gregorium ſententia Paſtoris abſolvat, quem Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat.* En tibi non vulgarem vitæ præteritæ emendationem. Debet præviè ad abſolutionem & precibus & lacrymis & OMNI GENERE BONORUM OPERUM flexiſſe iram Dei, idque notabili etiam tempore, ut ſatis indicant priora ejus verba, dum eam rationem SS. Patres moviſſe contendit, ut LONGO TEMPORE abſolutionem differrent: ut autem intelligas id eum etiam ſtatuere de iis, qui & animo contriti, & ore confeſſi ad quamlibet Pœnitentiam ſe alacriter offerant; habe tibi ſequentia; pag. 133. diſſimulat poſuiſſe eos *partes Sacramenti Pœnitentiæ ex parte ſua prærequiſitas ad abſolutionem, nimirum dolorem de peccatis cum propoſito non peccandi de cætero & confeſſionem* & pag. 135. *quod animo parati ſint illam* (Pœnitentiam

congruam) *implere* : ſed diſertè nuſquam magis quam pag. 136. ubi iterum præviam vitæ emendationem exigit ; *& quamvis* , inquit , *tales .... cum confitentur , eſſent* VERE CONTRITI , *& apud Deum juſtificati , nos, qui de externis tantum judicamus , eos de lege ordinaria , quam per traditionem ſanctorum Patrum accepimus & experientia quotidiana comprobatam habemus ,* ABSOLVERE NON POSSUMUS , *niſi poſt condignam Pœnitentiam juſto tempore peractam , & detegamus veritatem converſionis ipſorum* (utique per vitæ in melius mutationem) *& inſtar bonorum Medicorum præcaveamus ipſorum relapſum per plenam vulnerum curationem* : & quæ demum tam duræ legis ſit ratio? ratio inquit pag. 151. *quæ movit Sanctos Patres , ut differrent abſolutionem .... fuit , quia ſanatio ſpiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quam corporalis ; imò* MAJORI. Non ſolet ſcilicet repentina eſſe aut ſubita hominis converſio ; non ſolet Dei velox eſſe clementia ; quod ſi tu aut Latronis , aut Magdalenæ, aut Paralytici , & ejuſmodi divinæ miſericordiæ exemplorum memineris, reſpondet confidenter pag. 133. *Hæc & ſimilia non tam exempla* eſſe *quam miracula.*

Audi nunc Macarium , hoc eſt alterum Patrem Gabriëlis & ex eodem ludo diſcipulum alterum , in examine pag. 275. *talem vitæ emendationem .... in Conſuetudinario .... & Recidivo non requiri , aſſerit Pentalogi Author ; nos judicamus omnino illam requiri .... undè*

pono

pono hanc regulam : prærequiritur in Recidivis & Conſuetudinariis aliqua vitæ emendatio &c. Et pag. 278. *reſtat ergo ut exigat Confeſſarius vitæ aliquam emendationem.* Paginâ autem 285. *nec refert quod multum proteſtetur ſe velle ceſſare in poſterum à peccatis, quod roget Confeſſarium pro abſolutionis gratia, quod fleat, &c.* Et rationem addit pag. 283. *differenda ei eſt pro aliquo tempore abſolutio, cum ... juxta ſupra citatos Patres difficillimum ſit relabentibus in idem peccatum converti ad veram pænitentiam*, & *ad hoc*, ut infra ſubdit, TEMPORE OPUS EST : & copioſius pag. ſeq. *magnis peccatoribus ordinaria Dei providentia non ſimul, & ſemel &* SUBITO, *perfectæ converſionis impartitur gratiam, ſed ſenſim & ſenſim.* Quid ais erudite Lector? ſi Macarium non nominaſſem, non hæc ex Morali Gabriëliana deſcripſiſſe me crederes? atqui, inquies, levis hic foret judicii minimè temerarii error: nam ipſe Macarius ea quidem omnia ex Gabriëlianâ Morali deſcripſiſſe videtur, tanta eſt utriuſque inter ſe ſententiæ affinitas, tamque conſentiens ratio; imo vero ipſe Gabriëlis è Macariano Tyrocinio in ſuam fortè Moralem tranſtulerit; nam quod ſcias, necdum lucem Moralis Chriſtiana aſpexerat, & jam Macarius anno ætatis ſuæ circiter 30. verè Tyro Profeſſor hoc dogma & ejus apices omnes in ſuo Tyrocinio expreſſerat: tract. 1. cap. 7. §. 9. ita loquitur : *Hoc autem Confeſſariis maximè inculcandum eſt circa omnes Conſue-*

tudinarios quod illos raro poſſint abſolvere quando conſuetudo aliqua mortifera V. G. jurandi, ... voluntariè ipſis adhæſit uſque ad tempus confeſſionis, niſi Confeſſarius extraordinaria veræ Converſionis ſigna in pœnitente deprehendat; ratio eſt quia licet Deus nonnumquam graviſſimorum peccatorum corda efficaci gratiâ ſuâ ſic tangit, ut quaſi in inſtanti penitus ſe ad Deum convertant, ſicque juſtificationis gratiam recipiant, uti factum eſt in Magdalena, Matthæo, Zachæo, bono latrone &c. Is tamen non eſt ordinarius agendi modus, quo Deus graves peccatores ad ſe convertit, ſed incipit ordinariè ſenſim & ſenſim & pag. ſequenti; *ordinariè merito ſuſpecta debet eſſe Confeſſario illorum converſio, cum repentina ac ſubitanea Magdalenæ & aliorum Converſio non tam in exemplum, quam pro miraculo afferri debeat juxta S. Bernardum.* Et ante dixerat: *Nec refert pœnitentem dicere, ſe habere verum dolorem ac propoſitum emendationis, quia non verbis ſed factis hic agendum eſt; quod ore profert, facto oſtendat &c.* Tum remittit nos ad Eximium D. Gummarum, ad quem ſcilicet ſponte noſtra jam feſtinabamus, & *vide hoc*, ait, *latè & benè confirmatum ab Eximio D. Gummaro Huyghens in ſua utiliſſima Methodo remittendi & retinendi peccata quæſt. 4. dub. 4. per totum.* Videamus enimverò ſed malè herculè metuò, ne quam ipſe & utiliſſimam vocat, & remittendi & retinendi peccata methodum, nos & noxiam methodum, & retinendi verius peccata, quam remittendi deprehendamus.

Tu porrò age, Eximie D. Gummare, & repulſi hactenus Conſuetudinarii miſerere; & ſanè ſpem mihi facis non exiguam ſub finem tuæ ad Lectorem præfationis, ubi de tua methodo tu ipſe teſtimonium perhibes ſanè glorioſum, & multas animas aſſeris *è peccatorum labyrintho ſe hoc filo* (hoc eſt tua illa utiliſſima methodo) *egreſſas* gaudere. Heu me! errat Conſuetudinarius noſter in peccatorum labyrintho pluſquam Dædalæo, ſuſpirat exitum, & Macarianam manum lacrymis, & Gabriëlianam imploravit; ſed fruſtrà; non movebantur his lacrymis Milones iſti: at tu ſaltem fer opem, qui ſpem dediſti; filum exhibe; ſed audi ſodes filum volo quod liberet, non quod liget, Ariadneum, inquam, quod è labyrintho ducat, non Ipheos, quod in laqueum tranſeat.

At nempe *incidit in ſcyllam cupiens vitare charybdim*, dum è Gabriëlianis & Macarianis manibus in Gummarum incidit. Nihilo ille mitior, multo etiam operoſius hoc agit, hoc pugnat, argumentis omnino ſex contendit, Conſuetudinarios nec repente ſolere nec ſubitò converti; ac proinde intrepidè, ſicut ejus eſt mos, pag. 73. de Conſuetudinario, ſine prævia vitæ mutatione, ita ſtatuit; *non eſt quod abſolutionem Confeſſarius* ACCELERET, *etenim ut ..... iſte coram Deo &* VERE *abſolveretur, neceſſe foret, ut eſſet converſus* SUBITO, *& tametſi nemo inficias ierit quin hoc poſſit Deus; attamen hoc ita fieri ſolitum poſt ejuſmodi vitæ genus nemo quoque auſit aſſerere.*

aſſerere. Et ante pag. 17. ad hanc dubii 4. quæſtionem, *an abſolutio ordinariè ſit differenda illis , qui per conſuetudinem peccatum aliquod mortale commiſerunt, niſi vitam notabili ante abſolutionem tempore immutaverint* , pluribus reſponderat; hæc ſumma eſt; non modo differendam ordinariè eam eſſe , ſed de hoc docendum etiam populum in Concionibus & Catechiſmis : credo, ut hiſce veluti blanditiis populus ſub ſpe differendæ abſolutionis ad confeſſionem, de ſe alioqui ſatis difficilem, alliciatur. At nonne *credendum pœnitenti conſuetudinario* (titulus eſt dubii 5.) *ſe verè converſum eſſe aſſerenti etſi nulla præiverit vitæ mutatio, ſaltem ſi* SINCERUS *& proinde* NOLLE DECIPERE *noſcatur.* Quid ais Gummare? nam quid Scholarum Principes, quid Scholaſticæ ac Moralis Theologiæ lumina ſuper hac quæſtione definiant in ſolida illa praxi & tuæ methodi hactenus victrice lego ; tu autem qui ſcholaſticos ſugillas, qui Caſuiſtas accuſas, qui alia conſulis oracula, tu Gummare quid ais? aſſerunt inquis pag. 89. *non nulli* : non nulli autem? pro! quam anguſtis terminis Theologorum torrentem circumſcribis : ſed video quid agas : adverſariorum numerum, quantum potes, extenuas, ne, qui pauci tui ſimiles ſub ſignis tecum Vergerianis militant, animum prorſus deſpondeant; & providè facis : cladis ſæpè & fugæ initium fuit viſa tantùm hoſtium multitudo. Quid autem aſſerunt? *credendum eſſe, tum ad minus, cum Pœnitentis candor & ſinceritas noſ-*

noſcuntur : quid enim fides negetur illi, cum toto ſe corde dolere de præteritis, velle futura cavere, ad occaſiones vitandas paratum, imò ad media à Confeſſario ſuggerenda adverſus periculum relapsûs accipienda, promptum ſe affirmet & exhibeat? at ego non quid alii aſſererent, ſed quid tu Gummare dicas interrogo; *nihilominus*, inquis, *reſpondendum eſt, univerſa hæc non facere ſatis.* Quid ais? nam hic ego quidem Confeſſariorum fidem obteſtor, ad Concilium Tridentinum te provoco, tuam ipſius Gummare conſcientiam appello: dolere ſe de præteritis & TOTO CORDE dolere, futura velle cavere, ad occaſiones vitandas paratum, imò ad media à Confeſſario ſuggerenda adverſus periculum relapsûs accipienda promptum ſe affirmat, & exhibet: quid vis Gummare amplius? at affirmat, inquis, tantum, & parum eſt affirmare: imò verò quod ore affirmat, hoc animo, hoc corde revera, ut affirmat, ita ſentit. Jam tu ipſe dixiſti *ſincerus eſt, non vult decipere, candor ejus & ſinceritas noſcuntur.* Quid ergo eſt? *nihilominus univerſa hæc non faciunt ſatis*; quid ita? *nulla vitæ præivit mutatio*; at ſequetur, & tanto ſequetur commodius, quanto uberiori gratia per ipſam Sacramentalem abſolutionem armatus contrà ſuos ipſe depravatos longâ conſuetudine habitus pugnare fortius poterit, & facilius triumphare. Sed fruſtrâ eſt, ſurdo canimus, & noſtris vocibus ſuum illud identidem obmurmurat: *nihilominus reſpondendum eſt, univerſa hæc non facere ſatis,*

niſi

niſi vitam notabili ante abſolutionem tempore immutaverit. Etenim , ut iſte coram Deo & verè abſolveretur, neceſſe foret, ut eſſet converſus ſubito, & tametſi nemo inficias ierit, quin hoc poſſit Deus; attamen hoc ita fieri ſolitum poſt ejuſmodi vitæ genus, nemo quoque auſit aſſerere. Undè & Carolo Reymakers exempla filii prodigi, Publicani &c. objicienti, breviter reponit, & idipſum, quod uterque ſymmiſta repoſuit; ut adeo Trium-Viros noſtros pares in armis prorſus videas, nec eôdem tantùm ferro ſuum dogma propugnare, ſed eodem etiam clypeo defendere; *tales*, inquit in Apologia pag. 102. *Converſiones miracula potius, quam exempla eſſe diximus.* Et ante revera non ſemel ſed iterato dixerat.

§ 2.

DISGRESSIO AD LIBRVM de frequenti Communione.

HActenus tres unius Magiſtri Diſcipulos audivimus; & ita quidem inter ſe vidimus æmulos, ut dubium ſit, quis eorum in Schola Vergeriana primam palmam duobus reliquis præripiat: exigeret nunc ipſa æquitatis & honeſtatis ratio; ut qui Diſcipulis geminas hactenus aures præbuimus, unam ipſi Magiſtro ne negaremus; verumtamen faciunt mei Trium-Viri, ut id, quàm non neceſſarium, tam propè inutile ſit; nam quæ ad id præſtandum

dum ratio me moveret una hæc eſſet, ut planum facerem Gallicum Sancyrani ludum diligenter eos frequentaſſe, & ex ejus placitis amarulenta adeò dogmata ſuxiſſe: atqui ipſi hoc non negant Trium-Viri; ſed nec Pater Gabriëlis negare poteſt, ut maximè vellet; præſertim poſtquam & Cornelius Zeghers ſcrupulo ſuo trigeſimo manifeſti plagii eum convicit, & ego in priori libello cap. ult. §. 3. & 4. Vergerianas plumas omnes detraxi adeò, ut tunc Lectori moverit *cornicula riſum furtivis nudata Coloribus*. Macarius autem, ut maximè poſſet, negare non vellet, cum pag. 144. *inſigniter de hac materia ſcripſiſſe* dicat *D. Arnaldum* (hoc eſt uti omnes novimus Joannem Vergerium Sancyranum Abbatem) *in libro de frequenti Communione*; & addit ejus veſtigia preſſiſſe in ſua methodo Ex. D. Gummarum Huyghens, in qua methodo, ut ipſe vocat *utiliſſimâ*, ſuum ipſius de Conſuetudinariis dogma *latè & benè confirmatum*, jam ſupra dicere eum audivimus, in Tyrocinio pag. 314.

Te autem quod attinet Eximiè D. Gummare, tantum abeſt, ut aut poſſis id negare, aut velis, ut non obſcurè etiam in Apologiâ tuâ pag. 95. & ſeq. gloriari hoc Magiſtro videaris; nam quem Arnaldum ibi nominas, Vergerium eſſe tu ipſe non neſcis, qui ſub Arnaldi nomine ſuum de frequenti Communione librum publicam lucem videre voluit, cur autem ſub ſuo prodire noluerit, myſterium eſt, & tibi datum eſt Gummare noſſe ea myſteria. Ut

ut eſt, ne hic, ubi de re conſtat, litigemus de nomine, tuam methódum ita proprinqua cognatione librum de frequenti Communione attingere admittis, ut ſpecioſam ejus libri & turgidam Epiſcoporum ſedecim, Doctorum plus minus viginti, & univerſæ Auſcenſis Synodi, cui undecim interfuerint Epiſcopi, approbationem ad tuam methodum non obſcurè extendas: ita enim tu ad Adverſarium: *tuo igitur judicio doctrina Methodi in illius libro continetur. Velis nolis itaque mihi concedere debes, quod omnes, quotquot doctrinam D. Arnaldi* (hoc eſt Vergerii) *approbarunt, doctrinam quoque methodi comprobarint*: tum glorioſius aſſurgis; *Quo igitur veritatis colore aſſeris doctrinam methodi eſſe paucorum Lovanienſium dumtaxat aut Belgarum, ſi illam in D. Arnaldo* (ſeu potius Vergerio) *extra Belgium tot Doctores ſuffragiis ſuis approbarint, & quod potiſſimum eſt tot Epiſcopi, & ingens procul dubio in illorum cujuſlibet Diœceſi Paſtorum numerus amplexi fuerunt? tunc doctrinam à tot tantiſque Viris approbatam antiquatos errores appellabis?* Satis illa quidem magnificè, & quod ſcias, non invidebo methodo hodiè tuæ illuſtriſſimam illam & eximiam tot Epiſcoporum & Doctorum commendationem, nec eorum autoritatem elevabo; quamquam profectò elevare ſi vellem, vel ex hoc uno cumulatè id facerem, quod *nihil in eo repererit, quod veritati Catholicæ repugnet* Archi-Epiſcopus Turonenſis; Adurenſis Antiſtes *nihil deprehenderit quod Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ,*

Apoſto-

Apoſtolicæ , ac Romanæ dogmatibus aut pietati adverſetur, vel non penitus congruat Maclovienſis Antiſtes, *nihil quod ſanæ doctrinæ vel piis moribus adverſetur : omnia autem cum Sacro-ſanctorum Conciliorum ac Orthodoxorum Patrum doctrina apprimè convenientia* : & ut immenſum illum encomiorum oceanum citato curſu remis veliſque emetiar alii *nihil non orthodoxum , ſanumque continere , nihil à fide diſſentaneum habere , Catholicæ , Apoſtolicæ ac Romanæ fidei per omnia congruere*, imo *certiſſima* etiam *Eccleſiæ oracula exhibere*, tot tamque illuſtribus titulis decorando teſtentur ; & interim ille ipſe liber in ipſa præfatione , & in ipſo tantum non limine hanc legentium oculis propoſitionem objicit , *l'humilité de ce grand Apôtre a été depuis imitée par S. Paul , qui eſt l'autre œil de la tête de Ieſus Chriſt , comme dit un Pere* , aut ut habet editio Latina anni 1647. *tanti Apoſtoli humilitatem Paulus , quem una cum illo , in corpore cui caput Chriſtus eſt, quaſi geminum lumen oculorum S. Leo conſtituit , poſtmodum eſt imitatus.* Et paulo poſt : *De ſorte , que l'on voit* DANS LES DEUX CHEFS DE L'EGLISE , QUI N'EN FONT QU'UN , *le modelle de la penitence* &c. Hoc eſt ut editio vertit Latina, *ita in* DUOBUS SUPREMIS ECCLESIÆ VERTICIBUS , QUI UNICUM EFFICIUNT &c. quam quidem propoſitionem S. D. N. Innocentius Divinâ Providentiâ Papa X. non ut temerariam modò , aut ſcandaloſam , aut in fide etiam periculoſam ; ſed *hæreticam* prorſus *cenſuit & declaravit*. Viderit ergo alius

quantæ autoritatis eſſe debeant magnifica illa de eo ipſo libro teſtimonia : *nihil in eo reperiri quod fidei, quod veritati Catholicæ, quod Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ dogmatibus & ſanæ doctrinæ adverſetur vel non penitus congruat.* Ego bonâ tot Epiſcoporum, tot Doctorum, & Provincialis cœtus Auſcenſis, & tuâ, ut ſpero Gummare, bonâ veniâ Innocentio X. Epiſcoporum Epiſcopo, Eccceleſiæ Catholicæ Doctori & Capiti, legitimo S. Petri Succeſſori, & Chriſti in terris Vicario, ejuſque infallibili judicio certiſſimâ fide adhæreo. Interim, ut dixi, non invideo hodiè tuæ methodo illuſtrem illam prorſus & eximiam tot Epiſcoporum Doctorumq́ue approbationem, nec volo quidquam eorum nominibus detractum, ſua iis, ſi fieri poſſit, poſt Innocentii Decretum, integra conſtet auctoritas. Imo, ut planè intelligas quam ſincerè tibi hoc nomine gratuler, & quam liberaliter illud concedam, autor tibi ipſe ſum ut ſi novam aliquando lucem recuſa methodus tua videat (tenebris alioqui dignior) purpuratam illam tot illuſtrium nominum, tamquam totidem non tuæ methodi minus, quam libri de frequenti Communione, approbatorum longo ordine ſeriem majuſculis literis præmittas, & induci me facilè patiar, ut credam etiam Vergerianum librum probari non potuiſſe, niſi eádem operâ methodus Gummariana commendaretur, quin & contra obloquentium & obſtrepentium ora, ut ſunt proni ad obtrectandum aliqui, jure id à te

factum

factum defendam, nec improbabili uſus argumento, id in tui, Gummare, gratiam evincam; quorum librorum una ſit & eadem doctrina, eorum etiam laudem & commendationem debere eſſe communem.

Hæc dum præſto, id præterea commodi eſſe video, quod unius cauſam dum ago, trium agam, & eâdem operâ de tribus optimè meritus, unius libri de frequenti Communione tam illuſtrem ſplendorem, non methodo modo Gummarianæ, ſed Macariano examini, & Morali etiam Gabriëlianæ communicem, non tantum quod ex uno æqualiter fonte veluti totidem rivuli profluant, ſed quod inter ſe etiam ſinguli ſimiles ejuſdem prorſus coloris & ſaporis aquam ſuis alveis provehant. Sed hem! miſerum me tui Gummare Patronum, imo miſeram tuæ methodi conditionem, quæ à me feliciter ſatis laudari aut commendari non poſſit: video enim tenebras tuo libro affundi, undè lucem ſperabam, & quo argumento laudem cōciliare ſtudebam, eo infamiam accerſiri: ita profectò eſt, & hoc naturalis juſtitiæ ratio exigit, ut quem jura in partem commodorum miſerint, commune etiam incommodorum onus ferre jubeant; & quorum librorum una ſit & eadem doctrina, eorum ut laus inter ſe communis eſſe debet, ita infamiam non poſſe eſſe diverſam; atque ita fit, ut, quâ viâ à libro de frequenti Communione Gallicam illam tot Epiſcoporum Doctorumque lucem ad te derivari debere contendis, eâdem ipsâ viâ à libro P. Gabriëlis Ro-

Romana fulmina in tuum ipſe caput incautus trahas; nam ſi ob unitatem doctrinæ Vergerianus liber probari non potuit, niſi tuus commendaretur, ut tu contendis, & ego lubens admitto, tu viciſſim admitte, quod ego pugno, ob unitatem item doctrinæ Moralem Gabriëlianam condemnari non potuiſſe, niſi tua Methodus cenſuraretur. Quid enim dices, aut quà denique elabêris? negabis commune tibi quidquam eſſe cum P. Gabriëlis; at quî potes? ex eodem uterque fonte, tu tuam Methodum, ille ſuam de Sacramento Pœnitentiæ moralem, hauſiſtis; quid, quod tuam Methodum Evangelio Chriſti toties glorieris eſſe conformem: debet ergo cum Morali Chriſtiana in unam coaleſcere doctrinam, quam ſcilicet Patrem Gabriëlis *in crebra Ieſu Chriſti Evangelii meditatione certiſſimam hauſiſſe*, tu ipſe in Racemationibus tuis teſtaris. Quod ſi obluctari tamen pergas, & tuam Methodum ex libro quidem Sancyrani deſumptam ita glorieris, ut ex Morali Gabriëlis deſcriptam neges; id tamen certè negare non potes, ipſum P. Gabriëlis uni iſti libro debere omnia, quæ in ſua Morali de Pœnitentiæ Euchariſtiæque Sacramentis infeliciter tradidit; quæ quidem dogmata ſi in P. Gabriëlis Romano bis fulmine turpiter periere, nihil fumi putas, nihil fuliginis adhæſiſſe Vergeriano libro, unde illa ipſa dogmata cum phaleris ſuis omnibus erant deprompta? quare ſuſpectus quidem ex eo tempore, & alienâ fuligine nigricans mihi ſit iſte liber, nec pura adeò

ab

ab eo in tuam Methodum aut candida lux affundi poteſt, quæ fumo ipſa Gabriëliano aut extincta penitus, aut multum obſcurata ſit; quamquam illuſtrior ita fortè videatur jam Methodus, quod non ab Epiſcopali illa modo & Gallica luce ſed à Romanis etiam fulminibus reſplendeat; habent enim & ſuam lucem fulmina, lugubrem illam quidem, ſed lucem tamen: atque hæc quidem ſi placeat, poſſum Methodo gratificari amplius, & tertium lumen adjicere; dabunt illud Catholicæ & Sacramenti Pœnitentiæ vindices flammæ; in quas ſpeciali edito Decreto S. D. N. beatæ memoriæ CLEMENS Papa IX. anno 1668. famoſi Ritualis Aletenſis exemplaria omnia comburenda conjecit; feciſſentque utinam ſuperi, ut ignis iſte Clementinus ea & penitus abſumpſiſſet, & omnia. Sed heu! quæ quorumdam hominum eſt in Pontificia Decreta contumacia, ſolus in cineres titulus abiit; nam ipſe liber ſub alio titulo poſtea recuſus, primo Pariſiis anno 1670. deinde Lovanii anno 1671. tertiam etiam ibidem anno 1674. lucem vidiſſet, & quidem ſub Cenſura Ordinarii, niſi ipſo in ortu Autoritas Regia ſuppreſſiſſet: at nec ita ſuppreſſit, ut non eo ipſo anno 1674. in alio libro (prodiit eo anno Methodus) magna ſui parte prodierit. Et te quidem Gummare *in Continuatione Reſponſionis brevis ad Tractatum tertium* à pag. 86. uſque ad 124. per novem parallela, eaque manifeſta cum D. Arnaldo, hoc eſt Vergerio, & Rituali Aletenſi compoſuit Carolus Reymakers, & ita quidem, ut inter

utrum-

utrumque medius legaris, & meritò, non énim alius aptior dari tibi poterat locus, quando ab utroque æquali, hoc eſt exiguo admodum, intervallo diſtabas.

Tu interim perge, Gummare, & glorioſius, ut facis in Apologia, tot tuæ Methodi approbatores numera, quot Vergeriani voluminis præcones noviſti; nec malè eos quæris in Gallia, quos Toletano judicio condemnatus, in Hiſpania non invenies. Imo, ſi lubet, licebit, ut dixi, ad majorem pompam, ſi quando denuò imprimenda ſit Methodus, illuſtrem tot Antiſtitum Catalogum primâ in fronte præmittere, dummodo ad gloriæ complementum in fine adjicias Clementinum in Aletenſe Rituale, & geminum in Moralem Gabriëlianam Romanæ Inquiſitionis Decretum; Romanæ inquam, nam Toletanam in eam cenſuram potes omittere; neque enim quod proprium ipſe poſſideas, aliundè debes emendicare.

§. 3.

CONSUETUDINARIO DANDA non eſt Abſolutio Sacramentalis, niſi ipſam conſuetudinem prius exuerit.

ALiquantò quam putaram longior digreſſio nos tenuit, nec incommodè id accidit; Conſuetudinarius interim noſter nihil temporis inutiliter elabi paſſus, quando ita volebant Trium-Viri, rigidus in ſe ſuorum criminum vin-

vindex pœnitentialia opera ritè præſtitit; nec minori conſtantia cum ſua ipſe peccandi conſuetudine feliciter luctatus Chriſtianam aliquoties victoriam retulit; nunc ad Trium-Viros redit, jam denique ſalutare (ita quidem & illi promiſerunt, & bonus pœnitens ſperat) Abſolutionis hactenus dilatæ beneficium accepturus. Sed hem! nonne prædixi? novus in *filo* nodus intervenit, nova injicitur mora; quid ita? Conſuetudini reſtitit quidem, at non eam exuit; vicit aliquoties pronos in malum habitus, at nec plena victoria eſt, nec ad internecionem uſque eos proſtravit, aut penitus extinxit: interim differenda eſt Abſolutio Conſuetudinario, donec conſuetudinem exuerit, nam ita ex Vergeriana tripode novi Apollines Gabriëlis & Gummarus definiunt: mitior, aut, ut aptius dicam, minus rigidus hac in parte videtur Macarius, qui pag. 292. ad hanc quæſtionem: *quanto tempore debuerint tales conſuetudinarii abſtinuiſſe à peccato ad hoc ut eis pro prima vice Abſolutio dari poſſit*; ita reſpondet, ut neget *poſſe id regula generali determinari, ſed eò longius ac diuturnius tempus requiri* dicat, *& brevius ſufficere, quo plures vel pauciores occaſiones peccatum committendi occurrerunt.* Tum ita proſequitur, ut eo ſit contentus, ut aliquoties in ipſis peccati occaſionibus ſe continuerint, quamquam ſi rariores illæ, ſingulis puta menſibus, occurrant, ad plures etiam menſes dilatam velit Sacramentalem Abſolutionem.

At profundius, ut dixi, ligonem agunt, egregium

cuniculariorum par Gummarus & Gabriëlis, &, quod rideas Lector, è duobus neuter apertius, quam qui hanc à ſuá Methodo invidiam in Apologia amoliri ſtudioſius contendit; ſed quamdiu Apologias ſcribit, non retractationum libros, nihil apud nos agit, qui manifeſtè id in Methodo aſſertum videmus; & pag. quidem 89. ſignum dat infallibile, unde conſtet Conſuetudinarios in Paſchate non fuiſſe vere converſos, ſi ea nempe deinde vitæ ratio ſequatur, quæ argumento ſit, eos ipſam conſuetudinem non exuiſſe: *Finge*, inquit, *caſum, quo centum aut plùs eo Conſuetudinarios nullâ vitæ mutatione præviâ ob ſimilia dicta, proteſtationeſque in Paſchate abſolveris, quot putas numerabuntur, qui è tanto numero poſt Abſolutionem vitam talem inſtituant, ut mores eorum te adducant, qui credas & perſuaſum habeas, quod* VETEREM CONSUETUDINEM EXUERINT, *novamque induerint voluntatem abſolutam, & firmam peccatis letiferis univerſis, & æternum renuntiandi.* Hæc qui dixit in Methodo, quo ore in Apologia id ſe dixiſſe negat? jam vero quid illud? quod pag. 67. lego, nonne manifeſtè ſuæ eum ſententiæ convincit? *Confeſſiones & Communiones, quæ* DURANTE CONSUETUDINE *recidendi peractæ fuerunt, plerumque, tamquam Sacrilegia confiteri oportet, manetque præterea arcta obligatio denuò confitendi peccata mortalia, quæ quis malè confeſſus fuit, hoc eſt, præter Confeſſiones & Communiones mortiferè ſacrilegas, illa quoque mortalia quæ* OBTINENTE

RE-

RELABENDI CONSUETUDINE *confeſſus eſt*, *de integro confiteri oportet.* Quorſum autem, amabo, hæc omnia ſi judicio Gummari & vera poſſit eſſe converſio, nec irrita Abſolutio in Conſuetudinario, qui depravatam peccandi conſuetudinem non exuerit.

Nec prætereundum quod habet pag. 138. ubi hanc contra Methodum objectionem *Conſuetudinarii juxta hanc doctrinam vix umquam poterunt confiteri, cum ante confeſſionem vix umquam erunt diſpoſiti, ſicut requirimus*: ita latius deducit & *hæc*, ait, *objectio ſic ulterius complenda : vel enim confeſſionem procraſtinabunt donec habeant diſpoſitionem .... vel illâ diſpoſitione nondum habita confitebuntur. Poſterius non rectè dicetur ..... neque priori ſuffragandum, ut differant donec &c. ... neceſſe enim foret, ut magni & inveterati peccatores confeſſionem in annos, imo in finem uſque vitæ producerent, quia abſque Confeſſarii opera* NUMQUAM FORTASSIS VITÆ CONSUETUDINEM, *ut fas eſt*, EXUTURI *ſunt.* Habes objectionem & ipſius quidem Gummari verbis completam; quid autem reſpondet ? an excipit contra ultimas particulas, & ſuæ umquam mentis fuiſſe negat ipſam conſuetudinem exuendam ? imo aliud agit; totam patitur & admittit objectionem; hoc reponit unum, Confeſſionem inter & Abſolutionem diſcrimen faciendum, aliud enim eſſe confiteri, aliud abſolvi, atque hinc de Conſuetudinario ita ſtatuit, ut differri confeſſionem quidem nolit, Abſolutionem autem velit; at quam-

diu differri ? *in annos* utique (nam ita ex objectione ſuſpicari licet) *imo in finem uſque vitæ*, certè donec *vitæ conſuetudinem, ut fas eſt, exuerit.*

Hæc & alia in Methodo; nam & in ipſa Apologia ſibi conſtat Gummarus; &, quod mireris, illum ipſum §. decimum, ſub cujus initium invidioſæ hujus ſententiæ ſuſpicionem à ſe prorſus amovere nititur, ita concludit, ut planè eam incurrat: uſque adeo nos ipſos prodimus, & difficilè eſt, quod animo altè ſedet, ita diſſimulare, ut etiam tunc, cum minime vellemus, imprudentibus quaſi nobis nec ſatis advertentibus, excidat: ergo *idcircò*, inquit pag. 68. *adhibenda eſt dilatio, ut pænitens ea durante mediis à Confeſſario tamquam medico ſpirituali præſcriptis utatur; ut* VITIA (Conſuetudo vitii quædam ſpecies eſt) *contrariis virtutum actibus* EXPELLAT, *ut occaſiones externas reſcindat*, AC PRAVIS SUIS INCLINATIONIBUS (ſive conſuetudinibus) MEDEATUR.

Nihilo profectò plùs in Morali ſua P. Gabriëlis protruſerat; & eâdem phraſi pag. 136. *Nos . . . . . abſolvere*, inquit, *non poſſumus, niſi poſt condignam Pænitentiam juſto tempore peractam, & detegamus veritatem converſionis ipſorum, & inſtar bonorum Medicorum præcaveamus ipſorum relapſum* PER PLENAM VULNERUM CURATIONEM: dixerat: & Romano fulmine tangitur; & ut ſcias etiam hæc verba ultrices flammas provocaſſe, mitigatus legitur locus in Morali Tutiori, & ita mitigatus, ut multo etiam minus, quam

Gum-

Gummarus, nunc doceat: ſic enim habet pag. 125. & *inſtar bonorum Medicorum præcaveamus ipſorum relapſum per plenam vulnerum curationem, non quidem ſic, ut ſit obducta cicatrix, ſed ut abſit morale periculum proximi relapſus in conſueta crimina.* At neque mitigavit Romanos animos hæc ejus mitigatio, nec vaticanum fulmen evaſit: quid agis Gummare? nulla te ſubit Methodi tuæ cura, aut illud hic etiam obtinere putas, quod in acie & præliis fieri videmus, quemque ſuo perire vulnere, neminem alieno: atqui non P. Gabriëlis, ſed ejus doctrina fulminatur, nec poteſt ea in Methodo tua ſanior eſſe, quam in ejus fuerat Morali, ut quæ & ſuum ſecum ubique vitium circumferat, ubi ubi fuerit, nec à libro aut libri Autore quantumvis eximio honeſtari poſſit.

§. 4.

MULTIPLEX ADVERSARIORUM fucus in aßignandis caſibus, quibus Conſuetudinario Abſolutionem dari patiantur.

TOtum hic te velim, Lector, advertere animum, uſque adeo non alibi magis videas, quam ſubdolè rem ſuam agant, & quam male ſibi cohærentes, alia ſæpè dicant, alia reipſa præſtent; ſpecimen nobis dabis Gummare prorſus ſingulare: age ſervator animarum, nam hacte-

hactenus quidem, contra quam te in præfatione tua gloriari vidimus, Conſuetudinarios è peccatorum pravorumque ſuorum habituum labyrintho tuo illo famoſo filo, hoc eſt, ut loqueris, Methodo tua non eductos video, ſed magis intricatos; imo in tot nodos filum tuum implicuiſti, ut id conſuetudinariorum flagellum merito videri poſſit, age ergo, & quod res eſt, fatere candidè. *Numquamne* igitur *Conſuetudinarium primo ad Confeſſarium acceſſu abſolvi poſſe* judicas? quid numquam? imo vero, inquis pag. 121. *non ſemel dictum eſt in ſuperioribus, iterumque dico Abſolutione donandum eſſe Conſuetudinarium, extrema id poſtulante neceſſitate.* O te nunc verè Gummarum lenem! nam hoc quidem uno Gummarianum illum rigorem abſterſiſſe ſcilicet omnem videris; abſolvi Conſuetudinarius poteſt, quando? *Extremâ id poſtulante neceſſitate.* Sed pergit & lenitati ſuæ pluſculum indulget; *alterum eſt*, inquit pag. 122. *quo poſito dicta Conſuetudinarios abſolvendi Methodus præteriri poſſet, ſi nimirum is, qui conſuetudini peccatorum implicatus fuerat, eo, quo fas eſt, tempore peccatis renuntiarit, eáque tum pietatis tum pœnitentiæ exercitamenta, quæ Confeſſarius poſtulaturus fuiſſet, ſua ſponte ante ſuſceperit, compleveritque, quam Confeſſarii tribunal ſubeat:* hoc eſt, nam Gummarum melius quam per ipſum Gummarum interpretari non poſſum, ſi ſponte ſua *notabili tempore vitæ mutationem* præmiſerit, *ſi vitia contrariis virtutum actibus expulerit, ſi pravis ſuis inclinationi-*

tionibus mederi non neglexerit, atque adeo ſponte ſua *conſuetudinem ante exuerit*. Nec hic ſtat ejus lenitas: *tertio denique*, inquit pag. 123. *per accidens Conſuetudinarius primo etiam ad Confeſſarium acceſſu abſolutione donari poteſt, ob ſigna doloris de vita ante acta prorſus inſueta & inuſurpata ... ea, inquam, quæ Confeſſarium, illâ, de qua hypotheſis quarta, certitudine certum reddant, Pœnitentem abſolutione dignum eſſe, & ad eam ſat diſpoſitum*; tum per modum appendicis ita ſubnectit: *quod de Abſolutione tertio caſu prima vice per accidens impendenda dictum, vel maxime locum habet, ſi peculiaris quæpiam pœnitentis utilitas Abſolutionem differri ægrè patiatur*; numquis autem caſus præterea quartus, quo in tua tuipſe Methodo Gummare diſpenſes? minime; nam id quidem manifeſte indicat illud *denique*, dum ais, *tertio denique per accidens* &c. At mihi perquam egregiè ſimplicioribus fucum facere videris, Vir Eximie; nam qui ſtipes prorſus non ſit, facilè intelligit, tuam illam quam in tuis verbis mirabamur lenitatem, ad unam extremam neceſſitatem avarè contrahi & terminari: nam illud quod de *peculiari pœnitentis utilitate* dicebas, uno ictu interimit, hoc quod non ſine horrore legi in Methodo pag. 117. *quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi conſequatur, juxta hypotheſes præmiſſas tertiam potiſſimum & quartam agendum judico.* Hoc eſt neganda eſt Abſolutio: agis illic de difficili, ut eum vocas, caſu: ubi eo ipſo die ineundæ ſint nuptiæ, &, ni fiat, ſcandala, rixæ, contentiones, jur-

jurgia, famæ honoriſque diſpendia, oritura prævideantur: atque adeo ubi multiplex eaque peculiaris prorſus & animæ & corporis utilitas in unum confluxit; quid hic facies Gummare? Abſolves? ita quidem debes, ſi fucum non facias; nam hic ſi uſpiam *peculiaris pœnitentis utilitas*, verba tua ſunt, *Abſolutionem differri ægrè patitur*; ſed fucum, ut dixi, facis; *quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi conſequatur*, neganda eſt Abſolutio.

Jam quod de doloris *ſignis* prorſus *inſuetis* & *inuſurpatis* tam leniter canis, novus eſt fucus; nam quid ais? ſi toto corde dolere, & ante actæ vitæ peccata toto corde deteſtari ſe dicat Conſuetudinarius, nec ignotus ille quidem aut dubiæ fidei, ſed cujus *candor* ſit cognitus, cujus perſpecta *ſinceritas*, qui ſciatur *nolle decipere*; proteſtetur omnino *velle ſe futura cavere, ad occaſiones vitandas paratum, & ad omnia media à Confeſſario* contra relapſum *ſuggerenda promptum ſe & ore affirmet*, & reipſa *exhibeat*. Quid ais? his tu ſignis moveare? ſed quid ego id te interrogo? jam ante placidum à te reſponſum recepimus: *univerſa hæc non facere ſatis*; ſolita ſcilicet, & uſurpata hæc ſigna ſunt, *inſueta* ego volo, & *inuſurpata*. Quid ſi ergo in lacrymas, in pia ſuſpiria, ſincerus animi dolor foras prorumpat, quid ſi ad fervida ipſius Confeſſarii monita & eloquia totus in ſingultus eat? Hæc ſaltem nec Solita ſunt, nec uſurpata: nec *hæc* tamen *univerſa* apud te *faciunt ſatis*. Hoc in

Methodo,

Methodo; hoc in Apologia pag. 5. hoc pag. 52. profiteris. Quid ergo eſt? Fruſtrà apud Gummarum Propheta Regius *pœnitentiſſimum* ſuum *peccavi* ingeminaſſet; nec Magdalenam ad pedes ſuos ſingultientem, nec Petrum amarè flentem abſolviſſet Gummarus; quid ita? Suſpectas habet lacrymas, ſuſpectos ſingultus, nec alia ego, aut in Petro, aut in Magdalena, pœnitentis animi ſigna externa fuiſſe lego.

Ruit ergo Gummare; & ruit te ſubruente ipſo, caſus tertius: nam quæ,amabo,poſt ſinceri & candidi pœnitentis, nec in certum animæ ſuæ exitium decipere volentis, verba & promiſſa, poſt lacrymas, poſt gemitus, poſt interruptos pia per ſuſpiria ſingultus, quæ, inquam, reliqua facis *inſueta illa* & *inuſurpata* ſigna? nobis quidem illa non occurrunt: tu fæcundum Gummare concute pectus, & vel unum, ſi potes, ſignum exhibe; ſed cave ad lacrymas, ad gemitus, ad ſingultus recurras hanc tu tibi ipſe jam præcluſiſti viam;nec ad eas converſiones confuge,quas *inſolitas*, quas *extra communem agendi ordinem poſitas*, quas *planè extraordinarias*, *quas miracula deniq́ue* in methodo vocas, non *exempla*:nihil ad praxim quotidianam miracula faciunt, & te ſanè valdè preſſe teneri hic neceſſe eſt, ſi elabi non potes niſi per miracula: idq́ue adeò in cauſa manebit,ſaltem ſine miraculo Conſuetudinariis ad extremam uſq́ue neceſſitatem, mortiſq́ue articulum Abſolutionem differendam; nam & doloris ſigna inſueta, quæ eam accelerent, nulla

apud te eſſe vidimus, & ſpeciali pœnitentis utilitate, quantumvis ſpecioſè id dictites, non moveris, qui eam differendam judicas, quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi conſequatur.

Reſtat nunc is demum caſus, quo prævie ad ipſam confeſſionem, ſuâ ſponte Conſuetudinarius præſtitiſſet ritè omnia, *quæ Confeſſarius poſtulaturus fuiſſet*; & is quidem tertius Gummari fucus eſt, at ita me-herculè tenuis, ut verbo evaneſcat uno; ſi enim præſtitiſſe ille debuit omnia, quæ hic poſtulaturus fuiſſet, & hic ex Vergeriano methodi præſcripto, expulſa jam vitia, cunctas pravas inclinationes, ipſam conſuetudinem, ut vidimus, exutam poſtulaturus fuiſſet, debuit ille profectò jam ante ſuâ ſponte expuliſſe vitia, debuit ſponte ſuâ pravas inclinationes curaſſe, ipſam debuit exuiſſe conſuetudinem. Atque en fucum manifeſtum; Abſolutionis beneficium, etiam extrà mortis, aut extremæ neceſſitatis articulum, Conſuetudinario promittitur: ſed, *riſum teneamus amici*, Conſuetudinario, qui exutâ prius conſuetudine Conſuetudinarius jam ante eſſe deſierit. Vade Gummare, & eodem fuco ſanitatem ægro promitte, ſed ægro, qui curato jam ante morbo, & æger eſſe deſierit, & ſanatus ſit.

Atque ita ſenſim undè incepimus eo revertimur, & de hujus articuli veritate licet concludere: *Conſuetudinariis ut Conſuetudinariis ad mortem uſque, differendam eſſe Abſolutionem*; alterumque ſimul primi cuniculi flexum feliciter deteximus.

ARTI-

ARTICULUS III.

Tertius Cuniculi primi anfractus.

Peccatoribus, etiam non Conſuetudinariis, differenda eſt Abſolutio Sacramentalis, ad mortem uſque.

HUnc ubi titulum legerint, impetum in me, ſcio, pariter facient Trium-Viri, frement, calumniarum poſtulabunt, inſtabunt, quo libro, quo capite, quo folio, horrendum adeò dogma, non ſtudiosè docuerint, ſed vel ſemel attigerint: locum hunc niſi proferam, & omnes hujus dogmatis apices, turpiſſimi me mendacii, manifeſtæque calumniæ planè eſſe convictum, qui Viris optimis nequiter id per ſummam injuriam affingam. Mitius, Viri optimi, & moderatius, id ego non dico, nec horrendum adeò, ut meritò vocatis, dogma nequiter vobis affingo, quaſi apertè illud in libro aliquo, capite, aut folio, & perfrictâ fronte doceatis; imò tam aliena hæc à me eſt calumnia, ut nec ullam ejus ſuſpicionem in cujuſquam animo reſidere velim. Quare hic primo in limine animi mei ſenſa palam profiteor, & vos ipſos, quorum maximè intereſt, teſtes adeſſe & audire volo. Ita ergo habete; peccatoribus promiſcuè omnibus, etiam non Conſuetudinariis Abſolutionem Sacramentalem ad mortis uſque, aut extremæ neceſſitatis articulum differendam, apertè docere vos, non dico; quid vultis clarius? Quid

ergo? Huc vos per ſinuoſos cuniculi anfractus re ipſa tendere, huc veſtra ſtudia collimare, huc veſtra denique dogmata facere, id dico, id hoc articulo demonſtro, atque, ut intelligatis æquiorem me propè eſſe vobis, quam vobis vos ſitis ipſi; utinam quidem per vos ipſos integrum mihi eſſet, in aliquam veſtri excuſationem, ignorantiam prætexere, & dicere, inſciis fortaſſe vobis, nec ſatis ſcientibus, id fieri, ut ad tam exitialem terminum incauti feſtinetis; & commodè profectò ego præſertim id dicerem, qui cunicularios vos feci, & nihil pronius ſit, quam, ut qui ſub terra fodiunt, & ſolem non vident, nec ubi ſint, ſciant, nec quà eant, aut quò denique perventuri ſint: ſed, ut dixi, per vos ipſos id mihi non licet: nam de ignorantia malè nimis meriti eſtis, quam ut ab hac præſidium aliquod ſperare poſſitis; & in vobis vincibilis valdè ea ſit, & admodum craſſa neceſſe eſt, cum nec cæci vos planè ſitis, & ut cæcutiretis aliquantulum, ſat lucis affuderit Franciſcus Simonis, ut id ipſum videretis. Sed fruſtra nempè ipſe ſol luceat, & aquilini mihi ſint oculi, ſi clauſis ego tamen oculis cæcitatem affectem.

Hæc ad illos: nam te, Lector, ſi gravè non ſit, ad ſubterraneos iterum cunicularioꝛum noſtrorum labores luſtrandos invito: novi flexus, novæ ſubeundæ ambages, res agitur nova, & oblique ſatis; nam quo horrendum magis eſt, quod moliuntur, hoc profundius fodiendum, hoc cautius diſſimulandum eſt.

Con-

Conſuetudinarius, quem articulo præcedenti abſolvendum Trium-Viris ſtitimus, inani Abſolutionis accipiendæ ſpe ſæpè, ut vidimus, deluſus, conſuetudinem peccandi deniqúe exuit, quando eâ durante, niſi *extrema id poſtulante neceſſitate*, abſolvendum ſe aliquando prorſus deſperabat: adeſt nunc iterum hoc articulo, ſed jam non, ut ante, Conſuetudinarius, ſed unus de promiſcuo peccatorum grege, & meliori, & certá propè ſpe, ſacrum Pœnitentiæ tribunal ſubit, vulnera aperit, medicinam orat; an accepturus ſit, videamus.

§. I.

PECCATORIBUS ETIAM NON Conſuetudinariis differenda eſt Abſolutio, donec moraliter certò conſtet de eorum Converſione interna, & ſufficienti Diſpoſitione.

HOc ſaltem, Trium-Viri, dogma & eſt veſtrum, & veſtrum, opinor, agnoſcitis; certè agnoſcere debetis: & quam ego id ſine calumnia aſſerere poſſum, tam vos ſine fuco, ne gravius quid dicam, negare non poteſtis: ſtant contrà vos irrefragabiles teſtes, libri veſtri: & moralis quidem Chriſtiana pag. 126. tuis te verbis, P. Ægidi, convincit: *ut Sacerdos Pœnitentem abſol-*

abſolvat, requiritur primò, ut videat, quæ culpa præceſſit: deindè, quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam: tum ut abſolvat illum, quem videt gratia Dei compunctum: niſi enim per opera Pœnitentiæ Sacerdoti CONSTET *de interiori contritione pœnitentis, quam in ipſo operatur Deus, & per quam externis operibus indicat, eum ſe recipere in gratiam, non erit vera Abſolutio Sacerdotis præſidentis.* Moralem Chriſtianam Moralis tutior corrigere viſa eſt, ſed viſa tantum; nam revera non tam ſublatum errorem, quam magis involutum, nec minus veneni, ſed tectius propinari, & ego in priori meo libello, & in ſuis ſcrupulis Cornelius, clarè oſtendimus, & ab utroque hoc nomine meritò vapulaſti. Eandem mentem tuam nihilo obſcurius, aliquantò etiam manifeſtius expreſſiſti in iis Theſibus, quas anno 1676. Moralis tuæ veluti Apologeticas, & contrà Franciſcum Simonis vindices ad S. D. N. beatæ memoriæ CLEMENTEM X. Romam miſiſti; necdum ſcilicet in caput tuum Roma tonuerat, aut ad Vaticanos alliſa ſcopulos cymba tua naufragium fecerat: hîc Theſi 2. ita doces: *in diverſis Pœnitentibus diverſa occurrunt, quæ ſi* PERSUADEANT *Pœnitentem diſpoſitum, ita ut nihil conſideratione dignum ſit pro oppoſito, prudenter Confeſſarius acquieſcit, & eum debitè reputat diſpoſitum. Et quamvis reflexo intellectu hæc omnia adhuc judicet poſſe deficere, id non obſtat* MORALI CERTITUDINI, QUAM IN HAC MATERIA, SECLUSA NECESSITATE, DESIDERAMUS.

Con-

Conſonat P. Ægidio ſymmyſta ejus Macarius, nec uno in loco, ſed toto paſſim, ubi fert occaſio, examine Pentalogi. Sed D. Gummarus multò aſſurgit altius, & utrumque non exæquat modo, ſed ſuperat, cum tamen ob eximium ſuum characterem magis unus ſapere, quam duo inferioris notæ Theologi, errare minus deberet: longum erit locos ejus corradere omnes, ita enim fusè, ita operosè, ita ſæpè inculcat, ut magna methodi pars ei deſcribenda ſit, qui hanc rem exhaurire penitus velit. Nos ſeligemus aliqua, ex quibus de reliquis fieri poſſit conjectura, nec pigebit aliquantò diutius inhærere; longius enim, quam, primâ fronte videatur, doctrina hæc reſpicit, & plus ruinæ Sacramentali formæ, quam putetur, hac parte cuniculus noſter minatur; fallor, an id fortaſſe rationis eſt? cur huic parti operoſius inſudet.

Ipſo jam ſtatim libri initio dicendorum deinde fundamentum hoc pag. 2. Hypotheſi 4. jacit: *illum, de cujus ſincero dolore vel propoſito* MERITO DUBITATUR, *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet*..... venenum latet ſub his vocibus: *merito dubitatur*: de quarum explicatione & nos merito dubitaremus, niſi mentem ejus clarius expreſſam tractatu 2. & 3. haberemus: nam & ipſe Gummarus ad eos tractatus veluti ad geminos Hypotheſeos ſuæ interpretes Lectorem remittit, dum ait: *quæ contra hanc Hypotheſim ſtatui poſſent objectiones, ſub finem tractatus ſecundi & tertii refelluntur, & non parum ſimul* ELUCIDATUR *hæc Hypotheſis*: ut adeò

iraſci

iraſci nobis non debeat Vir eximius, ſi, quæ obſcurius in Hypotheſi loquebatur, ea ad illorum tractatuum lucem, jam elucidata legamus: in hoc rei vertitur cardo, ut aptè, & ad Gummari ſenſum, voculæ illæ *merito dubitatur* intelligantur: id agamus.

Tract. 2. pag. 197. hunc ſibi, & merito, nodum objicit, *ſi non liceat extra neceſſitatem abſolvere Pœnitentem, de cujus diſpoſitione* DUBITATUR, *numquam licebit eum abſolvere, quia ſemper manebit tale* DUBIUM, *cum diſpoſitio ſit in animo Pœnitentis.* Optimè, non poterat verbis clarioribus proponi objectio, ut planè contra Hypotheſin quartam pugnare intelligeretur, age Gummare, ſi per *dubitare* id intelligis, judicium ſuſpendere ob defectum motivi in alterutram partem præponderantis, nodus Gordius non eſt, nec ferro regio opus eſt: ſed tibi aliud nempe myſterioſum illud *dubitare* ſignificat; moralem nempe abeſſe certitudinem, & adeſſe prudentem formidinem; ita enim ad dictam objectionem reſpondes: *ſuffragabor facilè hinc confici, quod adipiſci nequeamus certitudinem omnimodam, imo nec eam, quam Phyſicam vocant ...... aſt quàm optimè cum eo componitur* CERTITUDO MORALIS. Viden' idem eſſe Gummaro *dubitare*, & *abeſſe certitudinem moralem?* Negat *ſemper manſurum tale dubium*, quod urgebat objectio, quia non ſemper aberit *certitudo moralis*, ut ſupponit, non probat, reſponſio; hæc ex tractatu ſecundo: adeamus nunc tertium, nam eum, ut vidimus, alterum ſuæ mentis

voluit

voluit eſſe interpretem. Pag. 294. ita ex ſe ipſo quærit *quandonam adeſt juſta ratio* DUBITANDI *de pœnitentis diſpoſitione, ut propterea à Confeſſario ſit examinandus?* &c, *reſpondeo*, inquit, *tum examine opus eſſe, ubi neque confeſſio, neque confeſſionis modus, nec alia ...... præſtant Confeſſario* MORALEM ILLAM CERTITUDINEM (*de qua*) (nota) *in Hypotheſi ..... quarta .... quod Pœnitens ad Sacramentum cum effectu ſuſcipiendum ſit ſufficienter diſpoſitus*: teneo te hic, Gummare, & ita preſsè teneo, ut nuſquam elabi poſſis; lego, relego, iterumque & iterum totam Hypotheſin quartam, & ſingula verba excutio, nec certitudinem Moralem invenio, & de certitudine tamen Morali Hypotheſin quartam agere teſtatur tractatus tertius, hoc eſt ille, per quem, ut ais, *elucidatur hæc Hypotheſis.* Obſecro hic te Lector geminos tuos oculos commoda: en tibi totam hypotheſim: *Non licet adminiſtrare Sacramentum dum materia eſt verè* DUBIA, *quamquam alia haberi nequeat; niſi tam irreverentiæ periculum, quam alia indè ſecutura incommoda, juſta excuſet neceſſitas. Unde illum, de cujus ſincero dolore vel propoſito meritò* DUBITATUR, *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet: ſicut nulla urgente neceſſitate, liquore, de quo, an ſit aqua, ambigitur, baptizare inhibetur. Secus dicendum, dum juſta neceſsitas (qualis dubio procul eſt extrema) aliud cogit, quia V.G. alioquin abſque Baptiſmate quiſpiam deceſſurus foret.* En tibi Hypotheſin totam, ſingulas literas, apices ſingulos, aut

me multum & oculi & manus feſellerunt, ex ipſa metho-do fideliter deſcripſi, nec tamen certitudinem moralem ſcripſi: tu Lector, ſi fortaſſe ſagacior ſis, ſcrutare diligentius, aut potius tu Gummare latitantem illam certitudinem moralem nobis exhibe, & è latebris ſuis in lucem trahe; bene habet, Lector audi Gummarum in ſua Apologia pag. 62. ubi Hypotheſin quartam, quam mirum quantum depereat, ſuis iterum partibus integram proponit; tum ſic explicat: *talia igitur poſtulo, quæ dubium de ſincero dolore & propoſito poſſint prudenti Confeſſario abſtergere; neque tamen volui hæc intelligi de quocumque* DUBIO, *ſed de* DUBITATIONE *ejuſmodi, qualem Vir prudens, ubi de alterius Conſcientia agitur, in re iſta conſiderare debet. Non eſt proinde, quod quiſquam mihi objiciat, nos de noſtra ipſorum converſione numquam habere certitudinem omnimodam, ac proinde minus habere de alterius: nam lubens fateor, non opus eſſe certitudine illa omnimoda*: atqui, ut bene hic ſubdit ſpeciminum auctor, *certitudo infra omnimodam nulla eſt præter moralem*; hanc ergo requirit Gummarus, hanc vult *dubium de ſincero dolore & propoſito abſtergere*, ut adeo Hypotheſis quarta, *illum, de cujus ſincero dolore vel propoſito merito* DUBITATUR, *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet, non parum* per tractatum 2. & 3. imo & Apologiam *elucidata* in hunc denique ſenſum recidat; *illum, de cujus ſincero dolore vel propoſito* NON HABETUR MORALIS CERTITUDO, *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet*: atque

ita

ita moralem certitudinem demum invenimus, quam in Hypotheſi quarta diu fruſtra quærebamus. Nec mirum nam quis *certitudinem* ſub verbo *dubitare* latere ſuſpicaretur. At quæ eſt iſta, merito dicat aliquis, involuta nimis nec ſincera ſatis ſcribendi ratio? verum quid tu his facias? cunicularii ſunt, & ſub terra id hominum genus laborat; & illud ſcimus vitioſas merces copioſius numquam diſtrahi, quam ſub veſperam.

Habemus Gummari ſententiam, imo & Macarii, nam præter alia quæ habet paſſim alibi Hypotheſin illam *firmam* eſſe, *nec ullo laborare vitio*, *certam & indubitatam eſſe regulam* contendit; audiatur: *ſequitur*, inquit pag. 102. FIRMAM *quoque eſſe Hypotheſim*, NEC ULLO LABORARE VITIO *Hypotheſim ..... non licet adminiſtrare &c.....* tum ubi eam totam deſcripſit ita proſequitur *Hypotheſis illa eſt* REGULA *tradita quoque ab Eximio Domino Huyghens*, *&* TAM CERTA *ut nec in ulla* (fortè illa) *ſupra-citati Autores qui ſcripſerunt contra Methodum aliquid reprehendendum ſciverint*, *ſed tamquam* CERTAM *&* INDUBITATAM *tranſierunt*, *adeoque illam probare ſupervacaneum judico.* Hæc ille, ſed quod ait tam certam eſſe *ut nec in illa ſupra-citati Authores, qui ſcripſerunt contra Methodum, aliquid reprehendendum ſciverint, ſed tamquam certam & indubitatam tranſierunt*, quâ veri ſpecie dixerit, non video; certè, ut de aliis taceam, ſuprà citarat Franciſcum Simonis, & honeſtè, ſuo more, magnum calumniatorem vocarat, nec

ſtrictim ille tamen, aut obiter hanc Hypotheſim vellicavit; ſed pag. 108. & ſequentibus toto dogmate 17. eam impugnat acriter, & in originem, conſectaria, ſcopum, ſuas veluti in partes minutius anatomizatam Sanctiſſimo D. N. ſuppliciter exhibet; ſi hoc eſt nihil in illa reprehendere, & tamquam certam & indubitatam tranſire, me quoque inter illos otioſè tranſeuntes numarere poterit; cæterum mordicus admodum Hypotheſi Gummarianæ adhærere eum neceſſe eſt, qui mendaciis etiam eam tuetur.

§. 2.

EXCUTITUR DILIGENTIUS *Moralis illa certitudo, & quanta eſſe debeat ex mente D. Gummari: ubi de ineptis ejus ſimilitudinibus.*

DUriorem nobis bolum, Gummare, obtruſiſti, quam ut tam cito digeratur; & amarum poſt ſe acerbumque Chriſtiano palato ſaporem relinquit: longius enim, ut dixi, quam primâ fronte videatur, doctrina hæc reſpicit; vidit id Autor ſpeciminum, & *notabilis*, inquit, *hæc eſt doctrina, quia vix aut ne vix quidem contingit, ut poſſit moraliter certo conſtare de illa diſpoſitione, alioqui enim ſequeretur, eum, qui modo erat in ſtatu peccati mortalis, fieri moraliter certum de ſua juſtificatione: nam de po-*

poteſtate Sacerdotis, *&* *intentione abſolvendi ordinariè conſtat moraliter certò. Illam autem certitudinem propriæ juſtitiæ, citra revelationem divinam, vix audent Theologi adſcribere Viris etiam Sanctiſſimis, territi variis locis Scripturæ ſacræ, SS. Patrum & Concilii Tridentini parum faventibus illi Doctrinæ.* Vidit Franciſcus Simonis; nec malus dialecticus hoc conſectarium deducit pag. 108. ergo *ſi caſum juſtæ neceſſitatis excipias, numquam licet Sacerdoti abſolvere peccatorem*: nec venit huic autori ea confidentia, ut nudè ſua aſſerat, adverſariorum illa laus eſt, nec invidemus; ſic ergo pergit: *etenim ſi juſta neceſſitas abſit, non licet Sacerdoti abſolvere peccatorem, de cujus converſione, ſeu ſufficienti diſpoſitione non habet judicium moraliter certum, atque expers omnis formidinis prudentis: atqui citra divinam revelationem judicium illud numquam habebit: neque enim poteſt eſſe certior de interna converſione peccatoris ſufficienti ad Abſolutionem, quam peccator ipſe, atqui nemo peccator, quamvis doctus, & ſapiens citra divinam revelationem de iſta converſione ſua certus eſſe poteſt moraliter, ita ut nullus prudenti formidini ſit locus. Poſtremam aſſumptionem, ſi eſſet animus diſputare, poſſem profecto & Scripturæ ſacræ & SS. Patrum & Theologorum autoritate exhibere probatiſſimam: ſed nihil eſt opus; cum quilibet per ſe videat conſequens alioqui fore, ut qui modo erat indubitatus Dei hoſtis, citra divinam revelationem fiat de ſua gratia certus, ita ut non*

poſſit

poſsit prudenter de ea formidare : ſecuritatem hanc viris quibuſdam raris atque eximiis Sanctitate adjudicarunt quidam Theologi pertimidè & non niſi probabiliter ; parum faventibus Patribus : at verò homini certo nuper divinæ legis, Deique contemptori, nemo tribuit. En igitur ſcopum dogmatis : verendum profecto, ne denique Sacerdoti vertant crimini, ſi peccatorem abſolvat extra mortis articulum : aliumve neceſsitatis caſum, quem quidem exprimendum putaret, non invenit Autor Methodi. Hæc ille cujus verba placuit deſcribere longius, ut magis appareat quam falſo Hypotheſim illam Gummarianam præteritam, nec in ullo reprehenſam Macarius diceret ab iis, qui contra Methodum ſcripſerunt. Tu quid ad hæc Gummare? nam quod ſcias, non evades appellando eum Macarianâ phraſi *magnum Calumniatorem* ; quid igitur facis, admittis conſectaria? quid ergo ad illud Eccleſiaſtis 9. *& tamen neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit* : quid ad totum caput nonum ſeſſionis ſextæ Concilii Tridentini contra inanem Hæreticorum fiduciam ita definiens : *quilibet dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt* ; ſi neſcit, ſi formidare poteſt, adeoque ſi ipſe pœnitens moraliter certus non eſt (imo & de ſe & in ſe fallatur ſæpè, ut vult Gabriëlis pag. 135. & Gummarus pag. 90.) quomodo, aut unde Confeſſario certitudo illa veniet, quæ moralis ſit, & dubium omne, & prudentem formidinem abſtergat? negabis

bis igitur conſequens? at cur ponis antecedens? nam legitima eſt conſequentia: nec elaberis per Apologiam, ubi ais: *non eſt proinde quod quiſquam mihi objiciat, nos de noſtra ipſorum converſione numquam habere certitudinem omnimodam ac proinde minus habere de alterius: nam lubens fateor non opus eſſe certitudine illa omnimoda*: audio, verum hæc ſi de ſchola aliquis diceret, qui ſuum judicio prudenter probabili honorem vindicat, nec cum Philoſophis Lovanienſibus opinionem aut impoſſibilem facit, aut imprudentem, nec cum iiſdem judicium, quod quidem ſit prudens, evidens neceſſario aut moraliter certum agnoſcit; nedum cum Joanne Sinnichio doceat omnem opinionem quamvis probabilem eſſe peccatum; video in ipſius ore certitudinem illam *non omnimodam* ſonare mitius, & de judicio prudenter probabili poſſe explicari; ſed te Gummare hæc dicere! te, qui opiniones quantumvis probabiles ad infernum uſque relegas! certitudinem non vis omnimodam, crediderim equidem, nam ſi tu de Phyſica aut Metaphyſica hiſceres, non reſponſum tibi, ſed helleborum darem; non ergo omnimodam vis certitudinem, ſed certitudinem tamen, eamque ad minimum moralem, nam quod infra illam eſt, probabile eſt, & probabile tu ſanctius in Philoſophia, quam Bajum aut Janſenium in Theologia ejuraſti: mitiga ergo quantum volueris, & diminue quantum potes tuam illam certitudinem, niſi tamen inter arctos certitudinis limites

con-

conſtiteris, ludibrium nobis debes : nam ſi vel tantillum à certitudine, & uno tantum pede deflexeris, ecce, quod hactenus peſſimè odiſti, in inviſam probabiliſtarum claſſem velis nolis præceps devolveris.

Periculum autem non eſt, ne nimis illam extenuet, video enim, quam inſulsè acerbo adeo per ſe dogmati acerbiora condimenta affundat; ineptas inquam ſimilitudines comminiſcitur, quibus ſuam de morali certitudine ſententiam exaſperet potius, quam illuſtret: quamquam quid dico comminiſcitur, & illas ex Officina Vergeriana, teſte Franciſco Reymakers, in hos ipſos uſus aptatas in ſuum librum tranſtulit, ut adeo vel hoc ſolo nomine ſuſpectæ merito nobis ſint, & Gummaro eſſe debuiſſent, ſi ſincerus quidem Sacramenti Pœnitentiæ vindex eſſe volebat, quod ab eo primum excogitatæ ſint, qui Sacramentum ipſum, ut vidimus, non minus quam Hæretici, ſed cautius, nec machinis apertè, ſed cuniculis clanculum volebat abolitum; an huc non collimet moralis certitudo, quantam Gummarus exigit, invidioſum fortaſſe ſit dicere; interim vin' ſcire qualem, quantamque exigat? *qualem* & quantam *citra dubium* (verba ejus ſunt pag. 198.) *poſtulabit Rex de fidelitate Gubernatoris prius quam illum admovebit moderationi arcis vel civitatis* nec cujuſcumque arcis aut civitatis; ſed ejus *à qua regni pendet ſalus, ſiquidem cupiet eſſe moraliter certus, quod illi non ſit animus regnum prodendi, præſertim ſi nil aliud*

aliud urgeat, neque premat neceſsitas illum præ cæteris ad id muneris evehendi. Placet hæc Gummaro Regis & Gubernatoris ſimilitudo, & multo ante Conſuetudinario eam ut aptaret, Gubernatorem illum ſæpius perfidum, & ſingulis prope menſibus proditorem fecerat, & illo quidem uno exemplo (præter ea quæ articulo ſuperiori dicta ſunt) Conſuetudinariis Sacramentum Pœnitentiæ prorſus ſuſtulit. Nihilo nunc mitior eſt erga Peccatorem non Conſuetudinarium, qui cum ſemel ſaltem peccaſſe, ſemel debitam Deo fidem fregiſſe, ſemel animæ ſuæ ſalutem prodidiſſe ponendus ſit, ita etiam in Gummariano exemplo, ut ſimilitudo congruat, arcis ille moderator ſemel viciſſim in Regem contumax, & rebellis ſtatuendus eſt; quid nunc poſtea? *pro Rege*, inquit Gummarus, *Confeſſarium, pro arcis moderatore peccatorem cogita.* Obſecro Gummare noli hic cogitationes imperare, nam ut liberæ ſunt cogitationes hominum, & hæc tua ſimilitudo ſatis de ſe inſolens, multum vereor, ne dum hortante te de Rege nonnulla & Gubernatore cogito, plura quam velis de te fortaſſe, tuaque methodo cogitem: quid enim eſt? Talem tu, tantamque de interiori pœnitentis diſpoſitione certitudinem habere vis Confeſſarium, quantam & qualem Rex exigeret de fidelitate Gubernatoris perfidi ſemel & proditoris, ut arcem, à qua Regni ſui ſalus penderet, ejus curæ tutelæque committeret? tuam fidem, Politico-Theologe, non hæc eo per cuniculum tendunt, ut quam raro aut numquam fidei

X ejuſ-

ejuſmodi Gubernatoris ſui Regni propugnaculum crederet Rex, tam numquam, aut raro Confeſſarius .... ſed hæc ſcilicet cogitare ſatius erit quam dicere? aliqua tamen interrogare liceat, ſi non præſtet omnia dicere: nam quos demum ſui animi teſtes, quos vades proferet miſer pœnitens? verba? ſuſpecta ſunt; lacrymas? his fidem quoqúe abjudicaſti; ſingultus? nec hi pondus habent; imò, imò, inquis, *ſincerus ſit* licet, *ſit candidus*, *ſciatur* hic & nunc *nolle decipere*; *univerſa hæc non faciunt ſatis*; hæc vetera, & aliquoties à nobis audita; nil novi habes? & qui tam bellulas ſimilitudines protrudis, mirum ſi non hic quoqúe ſimilitudinis aliquid ingeniosè adferas. Adfers enimvero: *Quando propria agitur cauſa* (ita proſequeris pag. 198.) *non ſemper ſit ſatis, dum aliquis in illa fidelitatem ſuam verbis teſtatam relinquit: notum hoc reddunt quinque familiaria exempla quæ tract.* 1. *quæſt.* 4. *ſextum faciunt argumentum: aliquid itaqúe ampliùs, quam verba, poſtulatur in cauſa propria: quod imprimis dicendum in argumento, ubi verba ſæpè fallunt: deinde plura adhuc exigimus, dum perſonæ ſtatus majorem præcautionem requirit, & tertiò maximâ adnitendum ſolicitudine, dum his omnibus accedit, quod perſona, de cujus fidelitate agitur ob ante acta ſingulariter inconſtantiæ, & infidelitatis ſuſpecta eſt. Nullo negotio hæc tria probaverimus: primum quidem magnam pecuniæ ſummam, præſertim ſi non ſit numerata, nemo citra neceſſitatem concredet peregrino cuipiam, & ignoto,*

etſi

etſi nihil illius ſe furari velle iſte aſſeveret. Alterum non minus clarum : ſummam dictam minus committet perſonæ peregrinæ, & ignotæ, ſi illam pecuniâ egere novit : tertium denique ſic monſtratur : quam maximè quis alienus erit, ut homini peregrino, ignoto, & indigo pecuniæ cuſtodiam demandet, ſi præter hæc omnia noverit quoque frequentia ejus furta : è quibus non ſolum elucet, quod ad certitudinem moralem de alterius diſpoſitione non ſemper verba ipſius ſufficiant, verum quod pro ratione argumenti, de quo agitur, pro ratione ſtatus perſonæ, & pro exigentia præcipuè actuum contrariorum, qui præmiſſi ſunt, plures majoreſque exigantur probationes, tum ad Confeſſarios converſus ita concludit : *quod igitur propria in cauſa deceptionis periculum facilè apprehendit Confeſſarius, hoc & in Dei & ſalutis proximi negotio eâ, quâ oportet, proportione ſervata, non minus percipiat, quemque ſe præſtat in caducis, eum ſe exhibere debet in æternis : quare eam ut minimum, quam in propria cauſa expeteret certitudinem, hic quoque comparare ſatagat.* Hæc ad longum deſcripſi omnia, ne ſi de meo inſeruiſſem aliqua, mentem ejus in pejus malignè trahere viderer voluiſſe, vix tamen temperare poſſum, quin hic, ſic quaſi per parentheſim, Macarii verba interſeram, nec ægrè id feret Gummarus, neque eſt cur ægrè ferat, non alterabit Gummarianum ſenſum (quæ eorum eſt concordia) parentheſis Macariana : hanc habe: *cumque ratio dictet ad minus nos debere habere*

tantam curam, æſtimationem, & reſpectum erga pretioſiſſimum ſanguinem unigeniti Filii Dei, quantam habemus erga argentum & lucrum noſtrum; certè non minori curâ & prudentiâ uti debemus, ne illum prodigamus & periculo exponamus, quam utimur in exponenda pecunia noſtra, quam non ita facilè periculo exponimus & confidimus homini, cujus fides nobis eſt ſuſpecta; ita ille pag. 309. quid vobis videtur? ſi muſici eſſent Macarius & Gummarus diverſam putatis partem canerent? nunc ego ad te Gummare tuumqúe Pœnitentiæ tribunal revertor, & ſolus quidem; neqúe enim propius accedere audet jam toties repulſus Pœnitens, qui poſt exhibita rite pœnitentialia opera, poſt præviam vitæ emendationem, poſt exutam tandem conſuetudinem, jam deniqúe longioris moræ impatiens dilatum toties Sacramenti fructum ſperaverat: ſed enim ſic quaſi ex inſidiis pœnitentiales tuos de morali certitudine canones à me diligentius excuti audivit, tum etiam blandulis illis ſimilitudinibus tantum animi hauſit, quantum ſatis ad laqueum eſt: ita enim ad ſe, nec ineptè prorſus pro rudi, incultoque ingenio; ſi homini *ignoto*, *peregrino*, *pecuniæ indigo*, *furtiqúe ſuſpecto magnam pecuniæ ſuæ ſummam* etiam *non numeratam* citius Gummarus *citrà neceſſitatem concredet*, quam pœnitentem eâ, quâ oportet, proportione ſervatâ ſuis peccatis abſolvat, video quam reliquam mihi Abſolutionis ſpem relinquat, quem nondum meæ fidei ſuos loculos ſatis crediturum intelligo; ſic ille, ſic *nonnumquam eſt olitor verba opportuna locutus.*

Et

Et vero Trium-Viri, qui propria in cauſa fidem verbis abjudicatis, undè, aut quâ viâ moralem illam certitudinem, quæ & formidinem prudentem & dubium omne abſtergat, undè, amabo, accipiatis? in promptu reſponſio eſt, per opera pœnitentialia & congruam ſatisfactionem, inquit P. Gabriëlis, *niſi enim* PER OPERA POENITENTIÆ (in correctione Romana maluit dicere *per vera pœnitentiæ ſigna*) *Sacerdoti* CONSTET *de interiori contritione* &c. pag. 126. item pag. 124. *Sacerdos ei peccata dimittat, cum viderit* CONGRUAM SATISFACTIONEM. Per facta, non verba inquit Macarius, & ex vitæ emendatione pag. 159. *quiſquis non fecerit prævié aliquos dignos pœnitentiæ fructus .... incipiendo alium vivendi modum ...... applicando efficacia remedia malis conſuetudinibus, & habitibus, dando eleëmoſynas.... in ſe puniendo malum, quod contra Dominum fecit &c. non eſt beneficio Abſolutionis dignus. Non audio quid ſonet .... opera loquuntur*: ita ibi de omnibus generaliter peccatoribus, & alibi centum in locis & in Tyrocinio jam ante dicentem audivimus: *nec refert pœnitentem dicere, ſe habere verum dolorem ac propoſitum emendationis, quia non verbis ſed factis hic agendum eſt; quod ore profert, facto oſtendat.* Idem inculcat toto paſſim libro ſuo Gummarus, & loca nos aliqua ſupra deſcripſimus.

At redit nempè nunc quæſtio, & eo revolvimur, undè abieramus; & benè ſingulis inſtat D. Nicolaus du Bois, dum unum Gummarum premit Theſi 1. concluſ. 7. *tu* Gummare (addamus nos Ægidi, & Macari) *qui exigis*

multas precationes, jejunia, & opera pœnitentiæ prævia, ſi .... dicat, omnia illa feci; undenam Converſionis habes probationem & moralem certitudinem niſi ex verbis? debetne ad tribunal tuum producere teſtes adimpletionis eorum, quæ exegiſti? undè conſtabit, quod non reinciderit, niſi iterum EX VERBIS? *& licet revera non reincidiſſet, quâ alia probatione certus fies, quod depoſuerit affectum? qui fortè non pervenit ad effectum, quia defuit occaſio, aut quia retractus fuit puro humano metu non obtinendæ Abſolutionis, & incurrendæ cujuſdam infamiæ, ſi advertatur, quod non communicet in Paſchate, vel alio die præcepto in aliqua communitate:* ita ille ad te, Gummare, anno præterito, & adhuc reſponſum exſpectat, quamquam duabus te deinceps Theſibus ad reſpondendum invitarit: ſanè ruſticitatis hæc quædam ſpecies, Viro honeſto rogatum toties reſpondere nolle: nec ſuis caret conjecturis inurbanum iſtud ſilentium; non placet fortè medium obtinendæ pacis, quod exhibet concluſione prima, & ea præſertim quæ ibi habet paulò poſt medium de deferendis ad Sacram Sedem tamquam ad arbitram ſupremam ac judicem, quæ utrimque ſuper hac Theologica lite replicæ in morem, duplicæque ſcribentur, & illud cogitas: *procul à Iove procul à fulmine.*

Eloquar hic, an tacitus prætermittam Confeſſarii cujuſdam (utinam non plurium!) infamiam & probrum? atqui profectò hic locus eſſet; nam ea quidem primam ex affectata illa certitudine originem traxiſſe dicamus potius,

quam in gravius tam ſacri muneris opprobrium, deterius quid & laſcivius cogitemus. Ignoſce Lector, ſi ſtrictim rem & obiter, ſi obſcurius involutam exhibeo, quæ alioqui S. Hieronymi calamum & alteram ad improbum illum Diaconum, & procum ſacrilegum Sabinianum increpatoriam epiſtolam poſtularet. Sed, ut dixi, hanc deferam ſacro muneri Chriſtianus homo reverentiam, ut & brevius dicam, ne mota diutius palus plus fæteat, & de induſtria obſcurius, ut ii ſolum, quorum intereſt, intelligant, & intelligent, ſcio.

Non eſt Abſolutio danda niſi certò de contritione, & interiori diſpoſitione pœnitentis conſtet; & numquam licet uti materiâ quantumvis prudenter probabili, dum certa haberi poteſt; nec verbis credendum aut lacrymis; quod ore profert, hoc facto oſtendat, pœnitentialia opera præmittat, jejunet in cilicio & cinere, imo flagris in ſe ipſe ſæviat piè crudelis, & Chriſtianam ſuorum criminum vindictam de ſe gloriosè exigat. His credat Confeſſarius, qui verbis non credit, hinc moralem certitudinem hauriat. At unde, niſi è verbis, hæc à Pœnitente ſanctè præſtita eſſe ſciet, & ex verbis, propria præſertim in cauſa, ut ait Gummarus, certitudo moralis haberi non poteſt, & haberi tamen certitudo debet. Quid ergo? ſanguine ſuo tincta ſtrophia Confeſſario exhebebit? at & hic poteſt latere dolus; quid nudato corpore ipſas flagrorum reliquias, vibices, & cicatrices coram objiciat? imo certitudo

majot

multas precationes, jejunia, & opera pœnitentiæ prævia, ſi .... dicat, omnia illa feci; undenam Converſionis habes probationem & moralem certitudinem niſi ex verbis? debetne ad tribunal tuum producere teſtes adimpletionis eorum, quæ exegiſti? undè conſtabit, quod non reinciderit, niſi iterum EX VERBIS? *& licet revera non reincidiſſet, quâ alia probatione certus fies, quod depoſuerit affectum? qui fortè non pervenit ad effectum, quia defuit occaſio, aut quia retractus fuit puro humano metu non obtinendæ Abſolutionis, & incurrendæ cujuſdam infamiæ, ſi advertatur, quod non communicet in Paſchate, vel alio die præcepto in aliqua communitate:* ita ille ad te, Gummare, anno præterito, & adhuc reſponſum exſpectat, quamquam duabus te deinceps Theſibus ad reſpondendum invitarit: ſanè ruſticitatis hæc quædam ſpecies, Viro honeſto rogatum toties reſpondere nolle: nec ſuis caret conjecturis inurbanum iſtud ſilentium; non placet fortè medium obtinendæ pacis, quod exhibet concluſione prima, & ea præſertim quæ ibi habet paulò poſt medium de deferendis ad Sacram Sedem tamquam ad arbitram ſupremam ac judicem, quæ utrimque ſuper hac Theologica lite replicæ in morem, duplicæque ſcribentur, & illud cogitas: *procul à Iove procul à fulmine.*

Eloquar hic, an tacitus prætermittam Confeſſarii cujuſdam (utinam non plurium!) infamiam & probrum? atqui profectò hic locus eſſet; nam ea quidem primam ex affectata illa certitudine originem traxiſſe dicamus potius,

quam

quam in gravius tam ſacri muneris opprobrium, deterius quid & laſcivius cogitemus. Ignoſce Lector, ſi ſtrictim rem & obiter, ſi obſcurius involutam exhibeo, quæ alioqui S. Hieronymi calamum & alteram ad improbum illum Diaconum, & procum ſacrilegum Sabinianum increpatoriam epiſtolam poſtularet. Sed, ut dixi, hanc deferam ſacro muneri Chriſtianus homo reverentiam, ut & brevius dicam, ne mota diutius palus plus fæteat, & de induſtria obſcurius, ut ii ſolum, quorum intereſt, intelligant, & intelligent, ſcio.

Non eſt Abſolutio danda niſi certò de contritione, & interiori diſpoſitione pœnitentis conſtet; & numquam licet uti materiâ quantumvis prudenter probabili, dum certa haberi poteſt; nec verbis credendum aut lacrymis; quod ore profert, hoc facto oſtendat, pœnitentialia opera præmittat, jejunet in cilicio & cinere, imo flagris in ſe ipſe ſæviat piè crudelis, & Chriſtianam ſuorum criminum vindictam de ſe gloriosè exigat. His credat Confeſſarius, qui verbis non credit, hinc moralem certitudinem hauriat. At unde, niſi è verbis, hæc à Pœnitente ſanctè præſtita eſſe ſciet, & ex verbis, propria præſertim in cauſa, ut ait Gummarus, certitudo moralis haberi non poteſt, & haberi tamen certitudo debet. Quid ergo? ſanguine ſuo tincta ſtrophia Confeſſario exhebebit? at & hic poteſt latere dolus; quid nudato corpore ipſas flagrorum reliquias, vibices, & cicatrices coram objiciat? imo certitudo

major

major haberi poteſt & Phyſica : fuit qui tam glorioſæ pœnitentiæ, ne verbis crederet, voluerit teſtis eſſe, nec otioſus teſtis, ſed particeps, neque judicis jam, nedum patris, ſed turpiorem perſonam induere, & in diſparis ſexus Pœnitente, corporis ante carnifex eſſe, quam animæ eſſet medicus. Fabulas non loquor, ſcio, pudor! in partibus Hæreticorum à Vicario Apoſtolico (non illo tamen, quem depereunt Certitudinarii) durius pro officio increpitum; nec negavit ille factum, ſed peculiari ſe id Spiritus S. inſtinctu feciſſe profeſſus eſt: impudens! qui in tam impio facinore pietatis etiam laudem ambiebat; & parum ſe peccaſſe putabat, niſi infame crimen blaſphema excuſaret reſponſio. Apage apage certitudinem illam moralem, unde, ſi illa obtineri non poteſt, tam turpiter ad Phyſicam gradus fit; & novam ab Eccleſia ſua Flagellantium ſectam Deus avertat!

Hic finis eſſet, ſed ne in luto ſordidi finiremus, longiorem hunc Paragraphum S. Hieronymi ſuavioribus verbis in Pſal. 119. expoſit. 2. concludere placuit: *ſed dicis: non ex toto corde convertitur, mentitur. Nos dimittamus Deo judicium: rogat me, deprecatur: non dicit hoc verè; Deus novit: ego* VOCEM AUDIO (notate iterum atque iterum Trium-Viri) EGO VOCEM AUDIO, *Chriſtus cor intelligit, ego ſuſcipio quod audio, ſuſcipiat Chriſtus quod novit.*

§. 3.

§. 3.

DIFFERENDA ABSOLUTIO, quamdiu adeſt probabilis metus, ne relabatur.

PROBABILIS autem? obſecro vos Trium-Viri, ſic derepente à veſtra illa *certitudine* ad *probabilitatem* degeneratis? aut ex quo tempore ex ore veſtro *probabile* ego audio? & quæ hæc varietas? ad Abſolutionem dandam *moralis* requiritur *certitudo* de debita Pœnitentis diſpoſitione; ad negandam *probabilis metus* ſufficit de relapſu. Cur aut ea *probabilitas* ad dandam non ſufficit, quæ ſufficit ad negandam? aut cur ad negandam non poſtulatur, quæ ad dandam requiritur, talis ac tanta certitudo? Rem acu facilè tanget, qui Vergeriani in Gallia conventiculi adhuc meminerit; quibus enim propoſitum eſt Sacramenti uſum, quibus poſſint, aggravare oneribus, ut ſuâ ipſi ſponte tanta pondera fideles excutiant, quid mirum, ſi *certitudinem* exigant, dum *probabilitas* alleviaret, & dum alleviaret *certitudo*, tum *probabilitatem* amplectantur: ſibi nempe in ſuo propoſito conſtant, & qui nil niſi onera quærunt, ut de *certitudine* ac *probabilitate* hic & nunc ſtatuant, utra hic & nunc oneroſior ſit attendunt. Hæc ſatis ad enodandum hoc ænigma, nunc eorum placita audiamus.

Agmen ducat P. Ægidius, ſi forte ejus nomen tot cenſuris illuſtre ad doctrinæ hujus commendationem facere poſſit.

In morali diabol. pag. 136. *& quamvis tales ..... cum conſitentur eſſent* VERE CONTRITI *&* APUD DEUM JUSTIFICATI, *nos qui de externis tantum judicamus, eos de lege ordinaria ....* ABSOLVERE NON POSSUMUS, *niſi ..... inſtar bonorum medicorum* PRÆCAVEAMUS IPSORUM RELAPSUM PER PLENAM VULNERUM CURATIONEM: ſubdit immediatè in correctâ Romæ, & ibidem tamen damnata morali tutiore pag. 125. *non quidem ſic, ut ſit obducta cicatrix, ſed ut abſit morale periculum* (adeoque & probabilis timor) *proximi relapſus in conſueta crimina.* Et in utroque libro §. 46. hanc primam præſcribit regulam: *non abſolvere eos, qui conſtanter peccato, ejuſque commercio non valedicunt, nec remedia adhibere volunt contra vomitum ſuum*; hactenus Catholicè (niſi ſub ly *conſtanter* virus aliquod lateat) Si ſic Ægidi dixiſſes omnia, laureatus nobis poteras redire Româ, non fulminatus; *quinimo licet hæc* (peccato ejuſque commercio ſe conſtanter valedicturos & remedia adhibituros contra vomitum) *polliceantur: tamen Confeſſario* PROBABILEM FACIUNT METUM, NE CONTRARIUM CONTINGAT. Imo nec polliceantur hæc tantum, ſed revera *verè contriti* ſint, *& apud Deum juſtificati*, ut jam jam dicebat. Tum S. Caroli verbis ſuam regulam ſtabilit, & iis ipſis, quæ & in Macario, & in Gummaro repetita invenio, ut tanto ſimiliores inter ſe eſſe convincantur, quod non dogma modo, ſed & dogmatis fundamenta non tam ex ſe mutuo, quam ex communi Magiſtro Vergerio per Scho-

laſti-

laſticam quandam, ut inter unius Magiſtri diſcipulos accidit, æmulationem avidè deſcripſerint: ſic enim ille eos docet parte 2. cap. 38. cui hic præfigitur titulus *Quatriéme Regle de S. Charles, que les Confeſſeurs ne doivent point abſoudre ceux, qu'ils jugent* PROBABLEMENT DEVOIR RETOMBER *dans leurs pechez, quelques promeſſes, & quelques proteſtations qu'ils faſſent, de ne les plus commettre*, & ita orditur, *mais conſiderons la derniere Regle de ce S. Prelat, qui nous fera voir encore plus clairement que toutes les autres*, LE GRAND NOMBRE *de perſonnes, auxquelles les Prétres* SONT OBLIGEZ *de differer l'Abſolution, pour ne point abuſer de leur miniſtere*: tum adfert verba S. Caroli; quæ ad marginem Italicâ, ut S. Carolus ea ſcripſerat, linguâ expreſſa citat, ut mirari adeò non debeamus, undè in præfatione Apologetica Italus nobis factus ſit Gummarus; qui verba Caroli Italicè citet; potuit ſcilicet, quantum ad propoſitum ſatis erat, à ſuo Magiſtro didiciſſe hic Italicè loqui; poterit alibi, ſi uſus ferat, diſcere græcè, nam & P.P. Græcorum verba Græcè item citata paſſim in margine video: Romanè certè loqui ex eo libro hactenus non didicit; an diſcet aliquando? probabilis enimvero hic metus eſt. Sed de Gummaro mox.

Macarius totam Patrum quam corradere potuit, autoritatem ad hoc ipſum dogma ſtabiliendum adhibet pag. 225. 226. 227. 228. 229. hic longo ordine *Bernardum* videas *Ambroſium*, *Anſelmum*,. *Auguſtinum*, *Tertullianum*, *Iſidorum*, *Hironymum*, *Gregorium*, *Eligium*. Hui! quis

quis non vivam SS. PP. Bibliothecam Macarium credat? at ſcimus nempe, nec obſcurum eſt, undè ea loca PP. liberaliter deſumpſerit, & ſatis quidem commodè; per varios errare libros neceſſe non habuit; in uno Vergerio (in hoc ferè uno SS. PP. legunt Trium-Viri) invenit omnia, & uno ferè exſcripſit ex capite 39. partis 2. hæc maximè urget ex Patribus: *irriſorem eſſe, non pœnitentem, qui* adhuc *agit* poſtea, *quod ante pœnituit*; *pœnitere eſſe anteacta flere, & deflenda non committere*; *hominem digne agere pœnitentiam, qui præterita peccata plangit, & iterum plagenda non committit, pœnitentiam vanam eſſe, ubi emendatio nulla eſt*: quæ omnia ſi tu non ad tui cerebri phantaſiam, quod temerarium ſit, ſed ad mentem Angelici Doctoris (cujus *inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata* Lovanienſi Academiæ Commendat ALEXANDER VII.) fideliter interpretêre, & cum eo 3. p. q. 84. a. 10. ad. 4. contendas, *dicendum, quod pœnitere eſt ante-acta flere, & flenda non committere, ſimul dum flet, vel actu vel propoſito. Ille enim eſt irriſor, & non pœnitens, qui ſimul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum ſe facturum quod geſſit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis poſtea peccat vel actu vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit; numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim verè cucurrit, qui poſtea ſedet, ita verè pœnituit, qui poſtea peccat.* Reponit confidenter tyro Theologus pag. 228. verum

hæc

hæc (in D. Thoma) explicatio SS. PP. valdè eſt contorta. Riſum teneamus amici: D. Thomas, cujus doctrinam, ut ipſe Macarius fatetur pag. 5. *meritò maximis elogiis integræ ſcholæ, Facultates Theologicæ, imo & Summi Pontifices condecorarunt, approbarunt, & commendarunt*, Sanctos PP. contortè explicat; Macarius primæ lanuginis magiſtellus genuinum eorum & legitimum ſenſum aſſecutus eſt; adeſte Thomiſtæ & Angelicum veſtrum Doctorem ab inepta juvenis injuria vindicate: & quod ſciatis, ſententiam in ſe ipſe imprudens jam ante tulit in Tyrocin. pag. 5. qui enim Scholaſticos, quod ſe & ſua placita SS. PP. Oraculis præferri (ut ipſe calumnioſe fingit) velint, *verè* ibi *bubones* & *noctuas* eſſe dicit reſpectu Aquilarum illarum, Ambroſii Auguſtini &c. quam honeſtum ſibi ipſe nomen fecerit, qui ſe veſtro ſimul & Eccleſiæ Doctori non obſcurè præpoſuit, non dicam, at Thomam veſtrum inter Aquilas iſtas merito numerandum eſſe, hoc dico.

Eâdem nave cum P. Gabriëlis & D. Macario navigat Gummarus, & ad eundem portum non ſatis felicibus avibus, & remis Vergerianis properat tract. 1. q. 3. pag. 49. & ſeq. ac primò quidem Verba præmittit S. Caroli, quæ & in P. Gabriëlis, & Vergerio legimus: *eſt præterea conſultum Abſolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, tametſi dicant ac polliceantur, quod ſe eximent peccato, tamen Confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.* Non favebat Carolinum iſtud *conſultum eſt*,

quod

quod conſilii potius videretur eſſe, quam præcepti, & adverterat id Adverſarius ejus Carolus Reymakers; occurrit ergo huic objectioni in præfatione Apologetica ad tract. 3. & dum *hic audis* inquit, *vocem* CONSULTUM, *ne propterea æſtimes S. Carolum ſignificatum voluiſſe, quod iſtud non ſit præcepti, ſed conſilii tantum. Debet* ergo, ſi Gummaro credas, nec tantum *poteſt* Confeſſarius Abſolutionem Sacramentalem differre, quamdiu probabilis remanet de relapſu timor; etiam illi (quod profecto mirere lector) quem hic & nunc ritè contritum, bene ad Sacramentum diſpoſitum, & ad Deum verè converſum non probabiliter modo judicat, ſed morali certitudine perſpectum habet. Facile illud conficias ex pag. 49. ubi cauſam hujus metus probabilis non hinc modo proficiſci dicit *quod Confeſſario non ſatis exploratus ſit ſtatus Pœnitentis circa peccata præterita, hoc eſt non ſatis innotuerit* (debet autem ex ejus mente innoteſcere moraliter certo) *dolor ſive deteſtatio peccati commiſſi*; ſed ALIUNDE etiam metum hunc manare, *quod periculum* ſcilicet *denuo labendi perſentiſcat*, idque aliunde, quam ex eo quod non ſit ſatis explorata præſens pœnitentis diſpoſitio; tum etiam ex pag. 58. ubi ſic ſibi objicit: *Verum reponat quis Pœnitens non erit verè converſus, vel erit: ſi prius, dictum potius oportuit quod propter abſentem debitam converſionem ſit differenda; ſi poſterius* (nempe ſi verè converſus erit) *differri nequit, quod nullam verè converſis utilitatem pariat Abſolutionis dilatio*; & reſpondet

pag.

pag. 59. *quod ad primam objectionis partem attinet, adſentio: quid ad alteram reſpondendum, affatim docet experientia, negatque omnino multiplex dilationis utilitas, quam &* VERE CONVERSUS *inde conſequitur.* Tum pluribus multiplicem illam utilitatem exaggerat; ſed eo ferè omnia recidunt; melius ita pœnitenti conſultum iri, ne denuo relabatur; ridiculè, ut qui contra inſultus Dæmonis, contra depravatam ſuam ipſius naturam, contra tam multiplices peccati illecebras fortiorem futurum ſperat, ſi ipſius Sacramenti ſalutaribus gratiæ auxiliis deſtitutus in tot hoſtes pugnare cogatur. Nam quod ait, Sanctis eum interea exercitiis, quæ ſpiritualis medicus præſcripſerit, contra peccata muniendum, id, ut Pontifici Maximo demonſtrat Franciſcus Simonis pag. 131. & melius obtinebitur datâ jam Abſolutione, & efficacius, propterea quod ea pietatis exercitia ſpecialem medicinæ vim ab ipſo Sacramento habitura, & Deo gratiora multò futura ſint, quæ reconciliatus jam, & amicus Deo præſtabit: videri poteſt hac de re latius, quam malè de adverſaria factione, tam bene de Republica Chriſtiana meritus, dictus Franciſcus Simonis pag. 126. & ſeq.

Atque hinc ſponte fluit alterum illud de Conſuetudinariis Gummari dogma, cujus tamen invidiam, ſi poſſit, excutiat; ne poſſit autem præter ea, quæ dicta ſuperius ſunt, facit hoc ipſum, quod habemus in manibus; ſi enim abſolvere eum non liceat, cujus relapſus probabiliter time-

timetur, tam certum eſt Conſuetudinarium abſolvi non poſſe, niſi exutâ non voluntate modò, ſed ipsâ peccandi conſuetudine, quam verum eſt non exutâ illâ conſuetudine probabiliter Conſuetudinarii relapſum timeri. Uſque adeo cohærent inter ſe dogmata & quâ ſemel ire cæpit Gummarus, hac conſtanter pergit; quamquam felicior eſſet hoc in genere inconſtantia: qui enim ſemel à recta via deflexit, hoc magis errat, quo conſtantius pergit.

§. 4.

QVÆ HACTENVS DICTA SVNT de differenda Abſolutione, de eo etiam intelligenda, qui ſemel peccavit mortaliter.

HUc Trium-Virorum rationes, huc eorum ſimilitudines & exempla, huc congeſta importune Patrum, Scripturæque teſtimonia, huc denique eorum cuniculi pertinent: Longum eſſet proſequi omnia, ſpecimina demus aliqua.

Praxim primitivæ Eccleſiæ ſuſpirant, & accreſcente iterum fidelium caritate ad priſtinum rigorem velint revocatam: atqui non in Conſuetudinarios modo aut recidivos, ſed in unius etiam peccati mortalis reos ſuos Pœnitentiales Canones rigidè decreverat.

Prima, & principalis ratio, quæ movit SS. Patres, (ait

(ait Gabriëlis pag. 127.) *ut longo tempore per opera pœnitentiæ affligerent, exercerent, & purgarent peccatores, antequam illos ad reconciliationem per Abſolutionem admitterent, fuit violatio Baptiſmi*; hoc Macarius, hoc non tacet Gummarus, & uno omnes ore ſæpius recitant, quæ ex Trid. ſeſſ.14. cap. 2. & 8. perperam intellecta in hunc uſum memoriæ mandaſſe videntur: *Pœnitentiam laborioſum à SS. Patribus Baptiſmum merito dictum, & ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam nos poſſe per Sacramentum Pœnitentiæ ad novitatem & plenam & integram* (qualem per Baptiſmum accipimus) *peccatorum omnium remiſſionem. Divinæ Iuſtitiæ rationem exigere, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus S. dono ſcientes Templum Dei violare, & Spiritum S. contriſtare non formidaverint*: quæ omnia, ut patet, in unius etiam peccati mortalis reo obtinent. *Loca* porrò *S. Scripturæ*, quibus tract. 1. Gummarus docet, *converſionem tantâ non acquiri celeritate & facilitate, prout vulgo creditur*, vel ipſo Gummaro fatente pag. 201. *ſi rectè calculum ponimus* (verba ejus ſunt) *non ſolum agunt de Conſuetudinariorum converſione, neque teſtimonia ſub titulo primi Argumenti contra ſubitaneam Conſuetudinariorum converſionem allegata id ſolum innuunt*: & paulo ante ipſe ſibi ita objecerat pag. 200. ex doctrina ſua conſectaneum videri, *quod ille, qui vel ſemel*

 pec-

peccavit mortaliter, peccato ſaltem externo & graviori, non poterit abſolvi primâ vice, quâ Confeſſarium abſolvendus accedit. Conſectarium ſanè invidioſum, ſed D. Gummarus vir, ut eſt, intrepidus non magnoperè abhorret; & pag. 202. *reſponſi loco ſit*, inquit, *quod pœnitens priuſquam Confeſſarium petiturus abſolutionem primum accedat, poteſt ſua ſponte egiſſe ea omnia, quæ confeſſarius abſolutionem dilaturus præmittenda abſolutioni judicaret; ac proindè eo eventu abſolutio huic Pœnitenti ne prima quidem vice differenda fuerit:* quæ porrò præmittenda judicaret, ita mox enumerat: *quapropter in Concionibus & Catechiſmis ſæpènumero commonendus eſt populus ..... ut per precationes, jejunia, aliaque pœnitentiæ opera ſeſe eo, quo par eſt, tempore præparet, atque eo pacto per Pœnitentiæ gradus ad veram tandem converſionem enitatur.* At, quid ſi precationes illas, jejunia, aliaque pœnitentiæ opera ſponte ſuâ non præmiſerit? dubia profectò ex dictis non eſt reſponſio; qui enim Abſolutionem eo eventu dari patitur, quo illa præviè ad confeſſionem omnia ipſe Pœnitens ritè præmiſerit, ut aliud nihil dicat, non obſcurè facit intelligi, quæ de Pœnitente, qui ſecus fecerit, animo ſuo ſententia ſedeat. Habet hoc ſcilicet bimembris ſub conditione reſponſio, ut earum ferè alteram intelligenti explicaſſe ſufficiat: familiari id exemplo videamus (amat familiaria exempla Vir Eximius) ſi Dominum Gummarum ego conveniam, & de Petro E. G. quem commendatum volo, ſollicitè inquiram promoverine

in

in Lovanienſi Academia ad Gradus Academicos poſſit? & ille reſpondeat; poſſe enim verò, dummodo Innocentii X. fel. rec. & Alexandri VII. Pontificum contra quinque Janſenii Propoſitiones Conſtitutionum Religioſam Obſervantiam promiſerit, & juraverit; hærebo ego quidem, candidè fateor, & ſtupebo aliquantulum, non quod mihi plenè reſponſum non ſit, aut ex dictis non intelligam promoveri eum neutiquam poſſe, ſi Religiosè earum Obſervantiam promittere & jurare noluerit; hærebo tamen, & animi dubius mecum ipſe exigam, quo potiſſimum modo hæc duo componere poſſim & combinare, D. Gummarum, alioſque nonnullos & promotos eſſe in Theologica Facultate ad Gradus Academicos, & tamen perjuros non eſſe; at at hoc erit profectò, ſicut omnia per cuniculum agunt, ſic & in ipſos Academicos Gradus per cuniculos irrepſerint; & aliquid ſanè ejuſmodi de Gummaro ſpargi aliquando memini.

Jam verò Hypotheſis quarta, & quæ huic, quaſi baſi, innititur feralis illa certitudinis moralis machina an Conſuetudinarios ſolos, ſolos Recidivos opprimit? quid illud? *illum de cujus ſincero dolore vel propoſito merito dubitatur* (hoc eſt, uti vidimus, moralis abeſt certitudo) *abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet*: non in omnes promiſcuè peccatores, quam decretoria, tam generalis hæc fertur ſententia? & exempla quidem dulcicula illa & mellita de Rege, & Gubernatore, de pecuniæ apud ignotum depoſito &c.

per Conſuetudinariorum, & Recidivorum latus eos etiam ferire ſuprà vidimus, qui vel ſemel perfidi Deo juratam in Baptiſmo fidem impiè fregerint. Fac tamen moralem illam certitudinem, quæ aut raro admodum, aut numquam habebitur, fac haberi tamen, nec de interiore modò hujus Pœnitentis diſpoſitione, ſed de debita etiam, & neceſſaria, ut illi volunt, per preces, per jejunia, aliaque pœnitentiæ opera præparatione fac conſtare certo; adhuc hæret in vado miſer pænitens, quamdiu Confeſſario relapſum ejus timere lubuerit. Eſt ſanè hæc, ſi æqui ſumus rerum æſtimatores, eſt indigna & ferrea lex: tu quantumvis verè ad Deum converſus, quantumvis candidè, & humiliter delictum, cujus unius reus es, ritè confeſſus, quantumvis verè, quantum cum Sacramento, non ſine eo ſufficiat, corde contritus es, & id mihi certitudine morali perſpectum eſt, ſed aliundè timor mihi probabilis ſuboritur, ne in idem denuo relabaris (& eſt profectò cur metuamus, quamdiu tot peccandi illecebræ, & pericula nos undique circumſtant; & ad mortem uſque circumſtabunt) vade tu interim, tuo volutare in luto, ſub ſervitute Diaboli perdura, donec mihi timor ille exciderit: quando autem ille excidet? neſcio, hoc ſcio prudenter relapſum metui non poſſe, dum extrema vitæ hora relabendi tempus non relinquet. Hæc Gummare de ſimplice, & unius criminis peccatore qui doceas, quos nobis reliquos peccatores facis, quos, tuâ methodo veluti *filo* è peccatorum labyrintho

eduxiſſe

eduxiſſe te, in tua ad Lectorem Præfatione, tam magnificè gloriaris? Niſi fortè eo id ſenſu velis intelligi quo de carnificum grege olim aliquis ſe quoque *filum* habere jactitabat, quo Reipublcæ maleficos è peccatorum labyrintho uno nodo educeret.

APPENDIX AD ARTICULUM tertium de Abſolutione peccatorum venialium.

PErtinacius, quam putaret aliquis, bellum in abſolutionem Sacramentalem geritur: pulſa toties, fugataque, dilata, & negata, non Conſuetudinariis modo & Recidivis, ſed unius etiam peccati reis Abſolutio apud pios ſaltem, & bene Chriſtianos ſecuram ſe, & ab hoſtium machinis tutam conſiſtere poſſe credidit; ſed fruſtra; huc quoque eorum cuniculi pertingunt: id hac Appendice videamus.

Ac primo quidem terrorem ſacrilegii incutiunt, cujus propinquum planè in confeſſionibus ſolorum venialium periculum eſſe putant. Subdolum mehercule artificium ad venialium confeſſionem penitus è medio tollendam; quid enim pronius, quam ut teneræ piorum conſcientiæ, & ad peccati gravioris ſuſpicionem levem, & umbram anxiæ, diris hiſce ſacrilegii terriculamentis territæ ita ſecum ſtatuant, ut leviora hæc piacula aliis deinceps pietatis exercitiis tutò potius ſecurèque eluant, quam tanto tam atrocis criminis periculo confitendo ſe exponant. Tum ſolito ſuo

more

more ſua figmenta primitivæ affingunt Eccleſiæ, & hanc poſterioribus Eccleſiæ ſæculis inductam conſuetudinem, & primis Chriſtianis incognitam eſſe dicunt, ut in hanc quoque confeſſionem, quæ alioqui ferventioris videbatur pietatis opus, refrigeſcens fidelium caritas degeneraſſe putetur. Atque hoc alterum eſt artificii genus; ut enim piæ magis, & ſanctiores ſunt animæ, ita ad optimum & primum fidelium fervorem ſuæ vitæ rationem volent exigere. Abſolutionem denique negari melius contendunt, niſi dum certò conſtat de ſufficienti ad ejuſmodi confeſſiones diſpoſitione quare Confeſſarios ſollicitè monent, cauti ſint, juſtam enim ſæpè adeſſe cauſam dubitandi de ſufficienti dolore; dent ergo nudam potius benedictionem; & tantò abſolutionem negent liberalius, quantò ſecurius errare poſſunt ob minorem abſolutionis neceſſitatem: brevius, ſi ſatis auderent, & apertius dicerent, abolendam prorſus venialium abſolutionem, imo & eorundem Confeſſionem. Sed cuniculatii ſunt, & res matura ſatis non eſt, & matutinè nimis quæ canunt, ferale ſibi carmen aves canere perhibentur. Nunc eos audiamus.

Macarius pag. 372. *periculum*, inquit, *eſt*, *quod* SACRILEGIO *exponet Pœnitentiæ Sacramentum, illud irritum reddendo, eo quod non ſufficientem materiam ſeu dolorem cordis & propoſitum efficax adferat*: & ante dixerat: *experientiâ teſte ac multorem piorum magno cum dolore conſtat, quando quis per conſuetudinem venialibus peccatis certis & determinatis*

affectu

affectu implicitus eſt, non ita facilè ſtatim affectum ſuum ab illis abſtrahere poteſt *& ſæpè vult & conatur, tamen adhuc nequit, donec variis contrariæ virtutis exercitiis, & multis ad Deum fuſis precibus eum ſenſim vincat.* En quantam difficultatem obvolvat. pag. 373. *Deinde non ſolum* GRAVI PERICULO *ſeſe exponunt jam dicti, verum ſæpè & illi, qui quotidie eadem peccata venialia leviora, & à quibus infirmitas humana difficillimè immunis eſſe poteſt, confitentur.* Pag. 375. *Ex quibus liquet, non eſſe probandam illorum praxim, qui quotidie abſolvunt illos, qui quotidie cum iiſdem peccatis venialibus ad confeſſionem veniunt.* Pag. 376. *Eſt quidem efficax remedium ad delenda peccata quotidiana venialia, quotidiana confeſſio, dummodo adſit de illis dolor & voluntas relinquendi: at illa, cum non* ITA FACILIA SINT, *& nulla quoad ullum determinatum in particulari emendatio Confeſſario appareat, juſtam* SÆPE *habent cauſam valde dubitandi de ſufficienti dolore & efficaci propoſito, adeoque* NON DANDI ABSOLUTIONEM *Sacramentalem, ſed eos clam impoſita pœnitentia dimittendi.* Et rationem addit, quam ſupra annotabam: *ſi enim vere ex amore Dei doleant, &c. Vix dubito, quin &* SINE ABSOLUTIONE *eorum conſequantur remiſſionem.* Tum addit: *non intendo praxim illorum culpare, qui quotidie confitentur ſua venialia, id enim bonum, ac utile eſt, tum ad ſe humiliandum, tum ad habenda pro illis à Confeſſario remedia, tum ad habendam* (nota) *ſi* NON ABSOLUTIONEM, *ſaltem* BENEDICTIONEM *Sacerdotis Vicarii Chriſti.* AT VELLE QUO-

TIDIE

TIDIE' HABERE SACRAMENTALEM ABSOLUTIONEM A SACERDOTE, HOC PROBARE NON POSSUM. Et Paulo inferius: *ex SS. PP. evinci non poteſt, quod fuerit in Eccleſia praxis confitendi venialia peccata, & ab iis abſolvendi; & multo probabilius eſt quod fideles in Eccleſia multis ſæculis non fuerint illa confeſſi, & ab illis ſolis ſacramentaliter abſoluti.* Non legit Macarius tam diligenter literas Vergerianas, quam librum ejus *de frequenti Communione*, nam has profecto ſi legiſſet, non tam timidè dixiſſet *multo probabilius eſt*, ſed, *certiſſimum eſt.* Ita enim habet ille parte 1. epiſt. 32. *Confeſſio peccatorum venialium non fuit in uſu ordinario per Eccleſiam, niſi valdè ſero ad expiationem ipſorum: quia ſpatio mille annorum & amplius juſti, qui ea committebant, ſatis habebant, ut plurimum eligere ſua ſponte quaſdam pœnitentias leves, priuſquam aſſiſterent S. Miſſæ Sacrificio.* Et epiſt. 92. *Confeſſio eſt poſtremum adminiculum, quod Eccleſia adhibuit ad delenda peccata venialia: alia omnia ſunt magis antiqua.*

Quam non alienus ſit D. Gummarus, habemus ex ejus Methodo tract. 1. q. 4. obj. 6. ubi inter alia hoc artificiosè urget, quod jam ante præmonui: *quorſum enim cum novi peccati* (& ſacrilegii quidem) *periculo confiteri illa, quæ tot aliis mediis queunt expiari?* Et ante dixerat: *Quod novum peccatum committi poſſit, inſtituendo ſolorum venialium confeſſionem.* Unde deducit, quod *gravi.... periculo ſe exponunt, qui exigua cum præparatione in dies fermè ſingulos eadem confitentur venialia*: tum præoccupat Adverſarios, ut qui

San-

Sanctorum exempla poſſent objicere, quorum eam fuiſſe ſcimus laudabilem pietatem, ut frequenter admodum, & prope quotidie, noxas illas leviores confiterentur; at illos ſemper abſolutos Sacramentaliter negat Macarius, Gummarus diſſimulat, ſed ab eorum exemplo ad eos ſolum deduci conſequentiam patitur, qui veluti Sanctorum æmuli, ad æqualem cum iis diſpoſitionem aſſurgant. *Si quis proindè*, inquit, *eo enitatur, ut hanc illorum aſſequatur diſpoſitionem, ſequatur & confitentes, non improbabitur.* Et in Apologia pag. 104. *imo ſi toties diſpoſiti ſint, uti fuerunt Sancti quidam, etiam probandum, ut confiteantur ſingulis diebus, ſicut & Sancti illi.* Atque hoc novum eſt, & ſubtilè artificium, nam præterquam quod ad paucos admodum eam venialium abſolutionem ita reſtringat, hoc præterea negotii teneris conſcientiis faceſſit, quod ut humiliores quæque ſunt, quæ ſanctiores ſunt, ita demiſſius de ſe ſentiant, nec putent adeò ſe abſolutionem eam poſſe prætendere, niſi ſuperbius de ſe præſumant parem cum illuſtrioribus Sanctis animi diſpoſitionem ſe aſſecutas; erit ergo proindè ſanctæ humilitatis nota non vulgaris, aut omninò venialium confeſſione abſtinere, aut certe ab iis per Sacramentalem formam nolle abſolvi. En quam ſubtiliter ſub terra ſine ſtrepitu longius cuniculus, quam ſuſpicio ferret, paulatim producatur.

Nec contemnendum eſt, quod ſtatuit de pleriſque religioſorum inſtitutis, quæ ad debitam in ſuorum animis

puritatem ſolicitius conſervandam, Confeſſionem quot hebdomadis unam alteramvè piè præſcribunt. *Pium eſt*, inquit, *inſtituere confeſſionem, quam nulla etiam ſequatur abſolutio, nec exſpectetur ſecutura, niſi quando conſtat* (& debet id quoque conſtare moraliter certò) *de ſufficienti dolore & propoſito: aliud namque eſt confiteri, aliud abſolvi*; hoc mirum herculè apud vos Gummare, quam verum ſit: nam Conſuetudinarius, Recidivus, ſimplex peccator, confitentur omnes & nemo abſolvitur. Tum belle locum aptèque concludens ulteriores ictus ita retundit: *præterea ejuſmodi ſtatuta nihil doctrinæ huic derogant*: cur nihil autem derogent? nam ut benè, & pro ſuo nomine ſolidè, notat Praxis R. P. à Burgundia, *hæc*, inquit pag. 256. *à ſummis Eccleſiæ Pontificibus approbata ſunt, & indubiè intelligi debent, uti intellecta à Religioſis aliiſque omnibus fuerunt hactenus, de confeſſione non tantum humilitatis, alteriuſvè virtutis exercendæ, ſed & Abſolutionis obtinendæ gratia, quamque Abſolutio ipſa ſequatur.* Perſtat tamen ille, & *nihil*, inquit, *doctrinæ huic derogant*, quid ita? *præcipi enim iis non poteſt, ut Abſolutio cum Sacramenti irreverentiæ periculo impertiatur*: atque ita per inſignem temeritatem frequentioris ejuſmodi in Religione confeſſionis præceptum, Sacrilegæ abſolutionis periculo cenſet eſſe obnoxium. Et hoc præceptum Spiritus S. primis religionum conditoribus inſpirarit? hoc Pontifices Apoſtolicâ ſuâ autoritate confirmarint? hoc univerſa denique per orbem Eccleſia per tot ſæcula perpetuò

petuò approbarit ? quid dicam ? novum hominibus iſtis non eſt, de Religioſis, eorumque ſtatutis & ſentire ſiniſterius, & loqui; & nota jam pridem eſt pura illa eorum in Religioſos caritas.

Hactenus docuit Gummarus, nec ſequius facit, quam docet, practicus melior quam Magiſter. Teſtatur Autor Speciminum p.2. pag.79. bis quâque hebdomade Gummaro confiteri Gummarianas illas ſeu Virgines ſeu Matronas, quas uſitato jam in Belgio nomine Marollas plebs vocat; & earum Matrem interrogatam an abſolveret etiam ? ad hunc ferè modum reſpondiſſe: *ô bone! non ſemper pretium Sanguinis Chriſti per Abſolutionem impenditur.* Laudo virum; *cæpit .... facere & docere.*

Unus Gabriëlis nunc ſuper eſt; verum tacet hìc ille, certè nihil magnoperè de eo dicendum occurrit, quamquam ex ejus principiis id facilè effici poſſit, ſi dixiſſet aliquid, nihil quidquam Vergeriano Trium-Viratu dicturum fuiſſe indignum: interim quamdiu tacet, & nos de eo taceamus; claudicabit hinc, fateor, aliquantulum parallelum noſtrum & inſtituta jam ſæpè inter Trium-Viros ſimilitudo: verum quid tum poſtea? dummodo ad Macarii, Gummarique cauſam prodeſſe nihil poſſit ſubruendæ abſolutioni aliquantò plus operæ utrumque contuliſſe, quam apertè ſit auſus hactenus, de ſe ſatis alioqui confidens, P. Ægidius: quod ſi omen tamen aliquod in ternario, numero eſſe putetur, ſupplebit ejus vices ſtrenuè ſcriptionis Flandricæ

Autor,cui titulus : *Noodige Wetenſchap voor deſen tyt om profytelyck te biechten ende te communiceren*, uſque adeo *deficiente uno, non deficit alter aureus*. Verba ejus exhibet laudatus ſæpè Franciſcus, & Chriſtianum de ſuo commentarium attexit pag. 158. & 159. *de his primi Chriſtiani*, inquit anonymus iſte *perbenè inſtructi fuerunt*, *qui* QUOTIDIE *communicabant, uti & modo Sacerdotes*, SINE CONFESSIONE; *idque quia non eſt neceſſe confiteri peccata venialia.* Mox reprehendit eos qui ſcrupuloſius, quam ipſius judicio par ſit, peccata venialia confitentur, & id fieri ait *magna offenſione hominum peccatorum*, *pro quibus inſtituta eſt ſedes confeſſionis*, ac denique, *ſequitur*, inquit, *quod regulam Chriſtianæ perfectionis non debeamus ponere in confitendo ſæpè & diu*, *ſed in vivendo ita, ut cum primis Chriſtianis non debeamus confiteri*, qui (ut ante dixerat) *ſine confeſſione quotidie communicabant*; hæc tam præclara monita *notitiam* putat & vocat *neceſſariam hoc tempore ad confitendum & communicandum utiliter.* Quid vobis videtur? nonne, quam hic patiebamur P. Gabriëlis jacturam, cum fænore reparat Auctor ille? Nunc utiliora monita & ſanctiora audiamus, quæ ad extremum de induſtria ſervavi, ut audita ultimò altius, ut fit, animo & diutius inhærerent, & felicem, ſi poſſint, Vergerianorum dogmatum aut oblivionem, aut contemptum inducerent. Dabit ea S. Franciſcus Saleſius (cujus ante alios autoritatem profero, quod in ſuas eum partes adverſarii violentius trahere conentur) part. 2. Introd. cap. 19. *confitere*

hu-

humiliter, inquit, *& devotè ſingulis octiduis, & ſemper, ſi fieri poteſt, dum communicabis, etiamſi nullius peccati lethalis conſcientia te remordeat: quia per confeſſionem* NON TANTUM RECIPIES ABSOLUTIONEM VENIALIUM, *quæ confiteris, ſed etiam &c.*dabit ea Hipponenſis Auguſtinus in ſeipſo(non in Iprenſi aut Vergerio Lectus)epiſt.118.ad Jan.*ſiquid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*; dabit ea deniquè, quæ nobis omnium inſtar eſſe debet, Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 5. *venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur......rectè & utiliter, citráque omnem præſumptionem in confeſſione* dicuntur, *quod piorum hominum uſus demonſtrat.* Taceant homines, Spiritus Sanctus locutus eſt.

ARTICULUS QUARTUS.
Quartus, & ultimus Cuniculi primi anfractus.

De Articulo Mortis, & extrema neceſſitate.

MYſterium hic latet, inquies; nam çur ipſo in titulo, ut aliis quidem articulis hactenus factum eſt, non additur qualis iſte cuniculus ſit, & quid hac demum in re, aut apertè ſentiant, aut tacitè moliantur Adverſarii. Dicam, Lector; myſteria enim, quod ſcias, quàm in fide noſtra agnoſco fideliter & piè veneror, tam in ſcribendo ſicut in

Adverſariis reprehendo, ſic non niſi ſtultè ipſe affectem. Suis ſe tenebris tegant, qui ſub terra fodiunt, ego palam, & in ſole laboro, & lucem amo. Suo articulum titulo non fraudabo, ſed inverſo ordine ad calcem ſubjiciam, quem fronti non præfixi; nec facti rationem diſſimulo, qui & candidi pectoris, & aperti oris ſum. Aliud ſcilicet, ſi uſpiam, hic loquuntur, aliud moliuntur Trium-Viri, & ego, qui titulos non apertis eorum verbis, ſed obliquis cuniculis reſpondere volo, non alium huic articulo ab eorum cuniculis video præſcribi titulum, quam qui invidioſus ita ſit Adverſariis, ita ab illis in ſpeciem, & ab eo, quod palam profitentur, alienus, ut, ſi præpropere nimis eum ponerem, apud æquum etiam Lectorem fronti meæ timerem, quaſi per inſignem calumniam Trium-Viros meos traduxiſſem; id cauſæ eſt cur ſubterraneos, & clandeſtinos eorum conatus detegere prius placuerit, ut ita deinde melius, & minori invidiâ cum lectore ipſo de Adverſariorum animo, & hujus articuli titulo ſtatuamus.

§. I.

QVID HIC VERBIS apertè dicant Trium-Viri.

HActenus, dum vita, & valetudo Pœnitentis ſinebant, differri poterat abſolutio, & reipſa etiam quia poterat, ſub nova ſemper, ac nova fucatæ utilitatis ſpecie longius ſenſim, ut vidimus, ac longius dilata eſt.

Nec

Nec poteras eos ſublatæ penitùs, everſæque Sacramentalis formæ condemnare, aut planè convincere, qui id commodi habebant, ut, quamquam reipsâ tollere quam maximè vellent, non duriuſculo tamèn illo *ſublationis* nomine utì deberent, quamdiu ſub *dilationis* voce deliteſcere poterant; & lenius certè ſonabat *differre*, quam *tollere*, proque iis ſtabat communis paræmia *quod differtur, non aufertur.*

At at eo nunc denique ventum eſt, ut, qui abſolutionem differre ultra voluerit, eam & negare ſe prorſus, & ómnino tollere fateri cogatur, in eoque adeò verſamur rerum articulo, ubi contra vetus illud, & tritum, *differre* reipsâ *auferre* eſt. Quid hic, non dico agent, ſed agere ſe dicent verſuti & callidi Cunicularii? ratum quidem, fixumque, & in Conventiculo iſto Vergeriano Synodaliter decretum eſt planè tollere, ſed cautè id agere ab eodem Conventiculo monentur, & apertâ in illud galeâ Hæreticorum more pugnare vetantur: & nunc quidem in portu naufragium facere tanto caveant diligentius, quanto inutiliori ſe labore miſerè fatigarint, ſi poſt tot tamque implexos anfractus, hic in fine denique ſubterraneum opus imprudenter prodant. Hæret ergo, ſi uſpiam, eorum labor, & mollior hactenus terra, nunc rupes perfodienda eſt: extrema inſtat neceſſitas, urget fatalis mortis articulus, abſolutionem nolle dare, apertè tollere eſt: differre velle, planè item eſt tollere.

Sic

Sic ut eo loci redacti videantur, ut ſub leniori *dilationis* nomine everſivum Sacramenti animum tegere ultra non poſſint; quid itaque, larvam ponant? occultumque hactenus caput è cuniculorum latebris exerant? & apertè denique pronuncient, abſolutionem ſe diſtuliſſe quidem, quamdiu differri poterat, nunc cum differri ultra non poſſit, planè eam negare, quando prorſus eam tollere animus eſt. Minimè gentium: nam hæc quidem quâ mente, quibus auribus Chriſtiani excipiant? & non eos continuò ſic quaſi fidei transfugas, & notorios Sacramenti hoſtes Genevam ad hæreticorum claſſem relegent? & quæ hæc eſſet cautela, quam tamen adhibere tam ſollicite à Vergeriano Conventiculo monentur? ipſi autem, quo id etiam ore, aut quâ fide pronuncient? cum jam ante, differendæ abſolutioni ſtudiosè intenti extremam neceſſitatem ſemper exceperint, & eâ quidem premente liberaliter concedendam tam ſanctè, tamque ſæpè promiſerint; & nunc dati toties promiſſi fides preſsè exigatur, quid igitur? vide Lector, & nota artificium; dum res maturior paulatim fiat, nec fidelium animi apti ſatis, aut diſpoſiti adhuc ſunt, qui ſenſa Novaturientis factionis nuda, nec ullis obducta involucris arripiant; diſſimulant tantiſper, &, quando velint nolint per ſalubrem neceſſitatem ſic loqui coguntur, Chriſtianè aſſerunt, uti diſertè facit Gummarus pag. 125. & 129. quemcumque Pœnitentem etiam Conſuetudinarium, nullâ vitæ mutatione, nullâ ſatisfactione præviâ in articulo mortis

mortis abſolvendum eſſe : & hæc eorum verba ſunt, ſed verba tantum; ita loquuntur, ſatis quidem Chriſtianè ſed coactè forte magis, quam liberè, & fictè magis quam verè: nunc quàm alia agant, quàm diverſa per cuniculum pro ſuo genio moliantur, oſtendamus.

§. 2.

QVID HIC RE IPSA TACITE *moliantur Trium-Viri.*

QUid autem agunt? quod Cunicularii ſcilicet faciunt, ſi forte in rupem eorum ligones inciderint; à recto tramite ad latus deflectunt, & per circuitum ſaxa declinant: ita Cunicularios docent paſſim Architecti militares, & inter alios D. Antonius de Ville in ſuo munitionum libro Gallico lib. 2. part. 2. cap. 32. de Cuniculis: nec minus ſegniter Trium-Viros noſtros id docet Vergerius in ſuo item cuniculorum libro Gallico part. 2. cap 15. & 16. unde nec ipſi objectam hanc rupem rectè perrumpant: durius id eſt, ut vidimus, quam ut apertè dicant & candidè, ne ipſo quidem in articulo mortis abſolutionis beneficium indulgendum; ſed in circuitum deflectunt, & eo per molliorem terram & moveri facilem arenam pervenire properant, quò per ipſa rectè ſaxa pertingere ſe poſſe deſperant: ea, inquam, in medium protrudunt, ea ſtabilire laborant principia, quæ

ſi ſemel fidelibus perſuaſerint, neceſſe non habeant Sacramentalem abſolutionem operosè negare, ut quam ipſi fideles Vergerianis illis jam imbuti, & deluſi præſtigiis nec ſollicitè expetituri, nec inviti negari nedum non offerri paſſuri ſunt, quod ut clarè perſpicias Lector, juvat obliqua eorum hac in re placita indirectoſq; conatus diligentius proponere; fallor, niſi tu ipſe in hanc mecum ſententiam eas, antecedentia eorum in hoc demum conſequens deſinere; dilatam hactenus ad mortis uſque, & extremæ neceſſitatis articulum abſolutionem, in ipſo illo etiam articulo tutius negari.

Ac primò quidem, ut ſunt timidiores inſtante jam morte hominum animi & conſcientiæ, ita ſopiendis ejus temporis curis, & anxietatibus præparanda videbantur remedia: hinc rigidi alibi & totis paſſim libellis, & ad deſperationem propè animarum Divinæ Juſtitiæ ubique præcones, hîc propè ad præſumptionem Divinæ Miſericordiæ ſubiti nobis fiunt encomiaſtæ homines, nec medium ſcientes tenere, & in utramvis partem nimis vehementes: imo eò etiam aſſurgunt ut certam jam ante vitam polliceantur pænitentibus, quamdiu abſolutionis beneficio fruſtrati ſacramentalem reconciliationem ſuſpirant; ſic quaſi aut Divinæ Providentiæ à conſiliis ipſi adſtitiſſent, aut hoc cum iis pactum Deus iniviſſet, ut in quod illi tempus abſolutionem jure aut injuria cunctabundi differrent, in illud ipſe Pœnitentium vitam protrahere teneretur.

Audi Gummarum pag. 127. *nonne res*, inquit, *foret im-*

imprimis demiranda, *quod Divina Providentia ſineret eum vitâ defungi tam infeliciter.* Et paulo poſt: *ut talis damnaretur, debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe, ipſum in vindictam anteactæ vitæ inflammas infernales præcipitem dare. Facietne id Deus Optimus Maximus .... aliter ſanè, aliter fidendum Deo: ad illos mihi ſermo eſt, qui norunt Divinam Providentiam attingere à fine uſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter, hoc eſt ſine qua nec folium arbore .... decidet .... quanto minus fiet, ut eâdem moderante homo corripiatur ægritudine, aut morte abripiatur? illos inquam alloquor, qui præter reliquos Ethnicorum errores & illum deteſtantur, quo rerum eventus fortunæ commento adſcribere ſolebant.* Ita Gummarus, ſeu potius ipſe per Gummarum Vergerius; nam diſcipulo vix quidquam hic debemus, niſi quod Magiſtri verba gallica latinè reddiderit. Conſonat Macarius pag. 305. *revera*, inquit, *quomodo poſſet Divina bonitas illos .... in æternum à ſe abjicere, & repudiare? non hoc de Miſericordia Divina præſumi poteſt.* Nempe, ut Vir eximius dixerat, ut id fieret *debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe ipſum invindictam ante-actæ vitæ in flammas infernales præcipitem dare.* Has ſcilicet Divinæ Miſericodiæ cantilenas ſopiendis conſcientiarum anxietatibus occinunt, ut adeo ægrè ferre non debeat pænitens ſi in longius tempus abſolutio differatur, ſed potius agendæ ei ſint gratiæ; & ſibi ipſe protractam in longius vitam gratulari poſſit; nam differri ab iis abſolutionem, vitam à Deo protrahi eſt; ut enim ſpatio intermedio moreretur,
 de

debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe ipſum ...... inflammas infernales præcipitem dare : *at non hoc de Miſericordia Divina præſumi poteſt. Et revera quomodo poſſet Divina Bonitas* id facere aut permittere? Ite ergo Pœnitentes, ite, & ſecuri in utramvis aurem quieſcite: tu quidem maria ſupera certus de portu; ſi oriatur tempeſtas, ſi navem laceram fluctus hauriant, ſi uno omnes naufragio obruantur, tu ſolus evades, nam ut & tu mergerêre, *debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe te inflammas infernales præcipitem dare*; at *non hoc de Miſericordia Divina præſumi poteſt. Facietne id Deus optimus maximus? aliter ſanè aliter fidendum Deo.* Te verò ſi fatalis morbus lecto affixerit, ſi exhauſtis viribus depaſceris, & ad extrema paulatim deduceris, metum, curamque pone; plus in novaturientibus Confeſſariis, quam in expertiſſimis Medicis ad vitam corporalem præſidii eſt; dummodo illi abſolutionem differre dignentur, deſperatus æger non es; nam ut morereris *debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe te inflammas infernales præcipitem dare.* Præſumptuoſa de Divina Providentia & Miſericordia argumentatio! quaſi verò rerum omnium Conditor & Gubernator Deus, naturæ, cujus Autor eſt, ordinem impedire, aut invertere ex veſtro arbitrio debeat; nec perire poſſit ejuſmodi pœnitens, niſi deſtinato conſilio id decreverit Deus, & non potius ſatis ſit deſtinato conſilio mihi liberum arbitrium decreviſſe, quo ego malè uſus ſi letiferam ſicam tuum

in

in pectus adigam, moriaris tu quidem, at deſtinato conſilio homicidium illud non decreverit Deus, ſed meæ mihi libertatis, quam ipſe dedit, uſu relicto, quod impedire non tenetur, juſtis de cauſis permittat. Et verò quid dicent ridiculi Divinæ Providentiæ aſſertores, ſi in pueri jam jam baptiſandi caput ipſo Templi in limine de tecto tegula fortuitò incidens tenerum cranium & molle cerebellum conterat: an hoc quoque ut fieret, debuit Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe ut tegula de tecto in pueri caput decidat? debuit deſtinato conſilio decreviſſe inflammas (nam hæc eorum ſententia eſt de pueris ſine Baptiſmo morientibus) infernales præcipitem dare miſerum heu! nec natum niſi ad infernum infantem? Alia ſcilicet Divinæ Providentiæ ratio, quæ cum decernat deſtinato conſilio plurima, non nulla tamen fieri non tam ipſe deſtinato conſilio velit, quam inefficaciter nolens ſimpliciter patiatur; niſi forte per Calvinianam blaſphemiam mala, quæ fieri & nos deploramus, & ipſe graviſſimis præceptis ſeverè prohibet, deſtinato conſilio decreta ab eo omnia & volita dicas. Ego ſic exiſtimo, præſumptuoſi Magiſtri, ſi vos pœnitenti, qui quidem *ponatur* (ut tuis pag. 127. verbis Gummare utar) *ſufficienter diſpoſitus ad juſtitiam per abſolutionem conſequendam, ſed non ut eam conſequatur ſine abſolutione*, ſi, inquam, pœnitenti ejuſmodi Sacramentale beneficium conferre more veſtro lenti differtis, & ipſe interim naturali ex cauſa, aut meâ etiam ſicâ perierit, me quidem

quidem homicidam corporis, vos animi futuros parricidas, & ab utriſque ſanguinem repetiturum juſtiſſimum judicem.

Atque hæc remotior eſt, & diſponendis ad cruda Vergerianæ factionis dogmata moribundorum animis prima præparatio; hinc cuniculi flexum ordiuntur: nunc propiora videamus.

§. 3.

DISTINCTIUS SINGULORUM Doctrina exhibetur.

NOtum eſt, & in priori meo libro penitius excuſſum famoſum P. Gabriëlis dilemma pag. 144. *vel .... peccator efficaciter intendit converti, vel non: ſi efficaciter intendit converti pœnitentiam implebit, & ſi moriatur ante abſolutionem, ſolâ voluntate efficaci converſionis ſalvabitur; ſi non intendit, abſolutio ipſi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus, ſicque addet peccatis ſuis Sacrilegium, ſeu Sacramenti profanationem ad majorem ſui damnationem.* His adde quæ ſupra dixerat pag. 143. *idem dici poteſt de pænitente veraciter, & moriente priuſquam abſolutionis Sacramentum acceperit, quod eum ſua fides reconciliavit, & ſalvavit.* Non multum abludit Eruditiſſimo Viro eximius Gummarus, qui ita ſibi objicit pag. 125. *finge conſuetudinarium ſine abſolutione dimiſſum poſtea in mortis diſcrimen adduci, & ſubitò è vita decedere, ut nullus Sacerdos ipſi Sacramentum*

ab-

abſolutionis impendere potuerit; hoc inquient eventu abſolutionis dilatio magnum, hoc eſt æternæ ſalutis detrimentum forſan intulerit conſuetudinario. Tum ita ſolvit: *reſpondeo,* inquit, *ſi fuerat indiſpoſitus, aut imparatus ad abſolutionem, nihil quidquam illa fuerat ipſi profutura, imo pronum erat ut illa offeciſſet ſuſcepta, quæ ex adverſo profutura erat dilata: hujus cauſa eſt Sacrilegium, quod patrari conſuevit ab iis, quibus indignis abſolutio donatur, & quo deindè S. Euchariſtiam inhonorant: gemino huic flagito portam occludit abſolutionis dilatio.* At hæc quidem Gummare omnia, ſi indiſpoſitus ille fuerit; ſed quid *ſi ſufficienter diſpoſitus ſit ad juſtitiam per abſolutionem conſequendam, ſed non ut eam conſequatur ſine abſolutione? ad reſpondendum,* inquit, pag 127. *ſingula expendamus; & primo quidem, ut hujusmodi pœnitens ſat fuerit converſus, quantum ad abſolvendum exigitur, debet illi fuiſſe verum, ſincerumque malitiæ peccatorum odium; deinde neceſſe eſt ut ad Deum per virtutes Theologicas ad juſtificationem neceſſarias fuerit converſus, & præterea, ut ipſi fuerit non velleitas dumtaxat, aut vacillans voluntas omittendi peccata mortalia, ſed abſoluta voluntas, & firma renuntiandi mortalibus, omnibus quidem, & æternùm.* Verum ponamus etiam eum hæc habere omnia, in eo tamen gradu, qui ad juſtificationem ſine Sacramenti adminiculo per ſe non ſufficiat; quid miſero huic fiet demum, ſi dilatam abſolutionem ſubita mors præverterit? heu miſerabilem, & in-

infelicem animam! debebit ea ſcilicet tuam iſtam duritiam, & injuſtè à te dilatam Sacramenti reconciliationem, ad quam ſufficienter diſpoſitus fuerat, æternis ſuis apud inferos ſuppliciis æternum luere. O te egregium animarum Servatorem Gummare! O methodum tuam *filum* miſerabile, quod è *peccatorum labyrintho* animas non educat, niſi ad alium, eumque æternùm, & irremeabilem pænarum labyrinthum! ſed negat hypotheſim Vir eximius, & Divinam Miſericordiam ac Providentiam ſuæ facit duritiæ eſſe vadem. Moriturum, inquis, aut certè mori poſſe ſupponis. Quid autem? tu Gummare confidenter ei craſtinum contra Auguſtinum auſus polliceri? auſim hebdomadas & menſes: nam *ſi hoc pacto foret diſpoſitus, nonne res foret imprimis demiranda quod Divina Providentia ſineret eum vitâ defungi tam infeliciter, eo, inquam, tempore quo Confeſſarii id ſuadentis obſequitur judicio? ſed hoc magis demiraberis, ſi perpendas, quod ut talis damnaretur debuiſſet Providentia Divina deſtinato conſilio decreviſſe ipſum in vindictam anteactæ vitæ in flammas infernales præcipitem dare. Facietne id Deus opt. max...... aliter ſanè aliter fidendum Deo, ad illos mihi Sermo eſt, qui norunt Divinam Providentiam..... diſponere omnia ſuaviter; hoc eſt ſine quâ.... nec capillus capite decidit... quanto minus fiet ut eâdem moderante homo corripiatur ægritudine, aut morte abripiatur? illos inquam alloquor qui præter reliquos Ethnicorum errores, & illum deteſtantur, quo rerum eventus fortunæ commento adſcribere ſolebant.*

Vides

Vides, Lector, ut miſericordem Dei providentiam ſuæ duritiæ vadem præſtet Gummarus? quam præſumptuosè, jam ante diſcuſſi: cæterum res indigna eſt, ut quæ maximè, miſericordiam Dei immiſericordes facere & crudeles Dei miniſtros.

Supereſt Macarius, quem ad extremum de induſtria ſervavi, propterea quod cum Gummaro partim, partim cum P. Gabriëlis planè ſymbolizet, & jam ante eum vidimus cum Gummaro in paterno Divinæ Clementiæ ſinu Vergerianum rigorem abſcondere voluiſſe: *Et reverà, quomodo*, inquiebat, *poßet Divina Bonitas illos, qui talem amorem erga Deum habent* (agit de amore imperfecto & initiali, & qui per ſe ſine Sacramento ad juſtificationem non ſufficiat) *qui ex tali amore ſeriò, & ſtrenuè in actionibus pœnitentiæ ſe exercent, ut penitus omnem Dei, quam commiſerunt, offenſam deleant, qui continuis virtutum inſiſtunt exercitiis, ut ſeſe ad reconciliationem cum Deo diſponant, in æternum à ſe abjicere, & repudiare?* NON HOC DE MISERICORDIA DIVINÀ PRÆSUMI POTEST. Nec ſpatio majori, aut intervallo diſtat à P. Gabriëlis, & ex Macarii verbis dilemma illud, de quo jam toties, Gabriëlianum facilè conficias, ſi penitiùs modò doctrinam ejus introſpicias, & ea quæ habet in *Examine Pentalogi*, cum iis conferas, quæ jam ante dederat in *Diſquiſitione Theologica de Amore Dei requiſito cum Sacramento ad juſtificationem.* Et primo quidem in *examine* pag. 303. ad eandem illam objectionem; *fieri poſſet*,

quod intereà temporis, dum abſolutio differtur, moriatur, ſicque defectu abſolutionis ſit damnatus pœnitens, qui fortè ſalvus fuiſſet, ſi abſolutionis beneficium ei impenſum fuiſſet. Ita reſpondet, & ex libro *de frequenti communione* deſcribit: *Si illud argumentum iterum aliquid concluderet, à fortiori militaret iterum contra antiquæ Eccleſiæ laudabilem praxim, cum tunc per multos annos abſolutionem quandoque differrent, pro ut & diu ... Baptiſmum ... adultis .... & quamvis quandoque aliqui mortui fuerunt ſine reconciliatione, aut Baptiſmo, non ideo ſuam praxim reliquerunt, aut mutarunt:* Tum ita pergit; *ſed firmiter ſibi perſuaſerunt tales in decurſu pœnitentiæ, aut catechumeni morientes, ſi verè fuerint pœnitentes, & boni catechumeni* OB DEFECTUM SOLIUS SACRAMENTI NON FORE DAMNANDOS. Et infrà: *Ratio eſt, quia tales pœnitentes moriuntur in obedientia Eccleſiæ; in pœnitentia ipſis à Chriſto per ſuum Vicarium impoſita; quis autem dubitare poteſt quin Chriſtus Dominus, qui, teſte Prophetâ, multus eſt ad ignoſcendum, quos ſuâ gratiâ in pœnitentia exercet, ſi fecerunt fructus dignos pœnitentiæ, eis & fructum & præmium pœnitentiæ & remiſſionem peccatorum largietur.* Quod autem dixerat ſuprà: *Si* VERE *fuerint pœnitentes*, non ita intellige, quaſi tantùm velit ſine Sacramento eos ſalvandos, qui veram, & perfectam, & per ſe adeò juſtificantem contritionem elicuerint; & non etiam eos, qui, quantum ad ipſum Sacramentum requiritur, ſufficienti tantum attritione *verè fuerint pœnitentes*

tentes : hanc enim ejus mentem eſſe manifeſtè evincit, quod immediatè ſubdit : *Quod maximè verum eſt in ſententia Authoris Pentalogi Diaphorici, requirente cum Sacramento ad juſtificationem amorem Dei ſuper omnia, contritionem enim illam ex amore Dei ſuper omnia procedentem, licet adhuc imperfecta ſit, & initialis, & ordinariè, ac extra neceſſitatis articulum vim reconciliandi hominem cum Deo exerere non poſſit abſque conſortio Sacramenti, tamen vim illam habere, extremè laborantem reconciliandi abſque Sacramento, ſi illius copia deſit, præter alios ..... docent moderni tres celebres Lovanienſes Doctores*, quos ibi nominat : & ipſe id non obſcurè docet pag. 307. ubi rationem reddit, quare in extrema potius neceſſitate initialis ille, & imperfectus amor ſine Sacramento juſtificet, extra illam ſe ſolo non juſtificaturus. Valebit ergo hìc etiam dilemma Gabriëliano dilemmati perquam ſimillimum; vel peccator moriturus ſufficienter erit diſpoſitus, vel non, ſi ſufficienter erit diſpoſitus, in articulo mortis ſolâ illâ diſpoſitione, hoc eſt initiali illo, & imperfecto Dei ſuper omnia amore ſalvabitur; ſi non erit ſufficienter diſpoſitus, abſolutio ipſi oberit, ſicque addet peccatis ſuis ſacrilegium, ſeu Sacramenti profanationem ad majorem ſui damnationem.

Valebit, inquies, judice Macario, ſed non in ſua, ſed aliena Autoris Pentalogi ſententia, imo fortè & in ſententia Gummari, neque enim imperfectiorem Dei amorem ad Sacramentum Pœnitentiæ ab eo exigi ſuprà vidi-

mus, ubi verba ejus deſcripſiſſimus ex *pag.* 127. *Methodi.* De Macario poſſet eſſe dubium, qui *in diſquiſitione Theologica pag.* 65. cum Sacramento ut neceſſarium requirit *prædominantem Dei propter ſe amorem* : Si non ipſemet Macarius ibid. *pag.* 70. hoc ipſum dubium abſtergeret, & admitteret *prædominantem* illum *Dei propter ſe amorem*, tunc *amorem eſſe Dei ſuper omnia*, cum adjutus timore omnem excluſit cupiditatem, ſeu abſolutum creaturæ propter ſe amorem : quem quidem cum excluſiſſe ſemper debeat, ut ſufficiens ſit ad Sacramentum diſpoſitio, eodem profectò recident, & Macarii *prædominans Dei propter ſe amor*, & *amor Dei ſuper omnia* Autoris *Pentalogi.* Valebit ergo in Macarii æquè atque Autoris Pentalogi ſententiâ decantatum dilemma ipſo judice, teſte, & interprete Macario.

Habes, Lector, Trium-Virorum dogmata; reſtat ut ex iis legitimè concludamus, deque ipſo adeò hujus articuli titulo inter nos ſincerè ſtatuamus.

§. 4.

EX TRIUM-VIRORUM DOCTRINA deducitur conſectarium, & ſuus huic Articulo titulus aſsignatur.

QUam veteres & antiquæ, tam familiares Novaturientibus & ſunt, & ſemper fuerunt querelæ, quas hodiedum etiam à Bajo-Janſeniana factione quotidianas

propè

propè audimus; ſententiis ſuis ab Adverſariis invidiam conflari per neſcio quæ deducta ex iis conſectaria, quæ, cum ipſa per ſe ſanæ doctrinæ repugnent apertius, non poſſunt non principia, unde ipſa profluunt, vitiata oſtendere. Hinc Vatinianum in ſagaces illos, & Catholicos Dialecticos odium; hinc Frauciſcus Simonis, Cornelius Zeghers, Carolus Reymakers, Gerardus van Vianen, Ulicus Jonſon, tam nigris ſignata calculis & lapillis nomina in faſtis Bajo-Janſenianis: Quid ita? latens ſub ſpecioſis verbis venenum ſua per corollaria haud mali Dialectici detexerunt, mentitoſque vultus larvato Bajo-Janſeniſmo detraxerunt, ut adeò fruſtra illi tegere cautè, & ſubdolè occultare ſe velle pergerent; quamdiu reperirentur, qui latentes ſub doloſo cinere periculoſos ignes proderent. Quod autem calumniæ reos poſtulent, quaſi quæ non ſomniarint, nedum cogitarint, dogmata hominibus Catholicis mendaciter, & invidiosè affingant, dum conſectaria ad ſua principia & antecedentia referunt, ipſa eſt, nec obſcura calumnia; quaſi vero ad alium pertineat conſequens, quam ad eum qui poſuit antecedens. Nec ſatis effugiunt, quod aliquos muſſitare audivimus, dum ea ſe corollaria admittere negant, nec deduci ea ex ſuis poſſe ſententiis ſatis præviderint. Erat enim Magiſtrorum, & eorum præſertim, qui contra communem Theologicæ Cathedræ ſententiam nova dogmata in ſuo cerebro procudebant, nec dubium quid, aut probabile, ſed certa

 omnia,

omnia, & indubitata docere ſe glorìantur; erat eorum, inquam, diligenter attendere, & prævidere prudenter quàm latè novitia ſententia ſe extenderet, &, in quam turpes caudas diſineret: fac tamen nihil illis mali ſuboluiſſe; ſi ſinceri quidem erant veritatis amatores, gratiæ erant agendæ, non jacienda in eos convicia, qui ex fraterna caritate periculoſæ doctrinæ Autores neſcios, nec ſatis providos admonebant; tum etiam reſiliendum fuerat à principiis, quorum exitus diſplicerent. dicente Auguſtino: *quod quidem non ipſe ſentis, ſed hoc ſequitur illa, quæ ſentis*; *muta ergo antecedentia, ſi vis cavere ſequentia.* Ut ut eſt, ſanæ doctrinæ Magiſter dialecticos non odit, & poſitam à ſe veritatem ſuis per ſe ipſe conſectariis geſtit illuſtrare: id autem nec per ſe facere, & ægrè etiam ferre, ſi fiat ab aliis, tacitè enimverò fateri eſt in ſinu quædam foveri ſuo, quæ lucem non patiantur; & ubi lucis odium, ibi mali ſuſpicio eſt. Hæc pro præſentia monuiſſe ſatis ſit, ne immeritò mihi iraſcatur bilioſa Trium-Virorum caritas, ſi ex eorum verbis ſuperiori §. relatis invidioſius, quam velint ipſi, concludam; nec mihi ſuas ſordes, ſed ſibi imputent; horrendum inferri conſequens, non inferentis vitium eſt, vitium eſt ponentis antecedens.

Age, Eruditiſſime Pater, quam ſano, quam leviter ægro negaſti abſolutionem, jam jam morituro concedis? directè, ſcio, non reſpondebis; cunicularius es, & in rupem incidiſti, & declinanda ſunt per circuitum ſaxa: verumtamen

quid

quid ais? *Vel peccator efficaciter intendit converti, vel non: ſi efficaciter intendit converti,..... ſi moriatur ante abſolutionem ſolâ voluntate efficaci converſionis ſalvabitur: ſi non intendit, abſolutio ipſi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus, ſicque addet peccatis ſuis ſacrilegium, ſeu Sacramenti profanationem ad majorem ſui damnationem.* Hoc tuum eſto antecedens; unde boná tuâ veniâ ita concludam; ergo in ipſo mortis articulo abſolutionem morienti dare, prodeſſe ad ſalutem animæ non poteſt, poteſt quam maximè obeſſe; ergo abſolutionem negare tutius eſt. Quid autem poſtea? atqui, in adminiſtratione Sacramentorum tutius ſemper ſequendum eſt; ergo jam jam morienti in ipſo mortis articulo neganda ſemper eſt abſolutio. Exhorruiſti P. Ægidi? & meritò quidem, utinam & fructuosè; *hoc ſequitur illa, quæ ſentis; muta ergo antecedentia, ſi vis cavere ſequentia*; nam quid horum omnium negare potes? in adminiſtratione Sacramentorum tutius ſemper eſſe ſequendum? hoc Catholici omnes, hoc omnes Theologi, hoc Patres, hoc Pontifices, hoc Eccleſia clamat univerſa. Negabis igitur tutius eſſe abſolutionem morienti non dare: ſed quî potes? nam ſi prodeſſe non poſſit, & obeſſe maximè poſſit, manifeſtum eſt tutius eam negari: prodeſſe autem non poteſt, ut enim prodeſſet, deberet eſſe diſpoſitus, &, ſi ſit diſpoſitus, ipsâ illâ ſuâ diſpoſitione ſine abſolutione ſalvabitur, hoc eſt effectum, ad quem daretur abſolutio, ſine abſolutione conſequetur; ſin autem diſpoſitus non ſit, quàm maximè oberit *addet* enim

pec-

peccatis ſacrilegium, ſeu Sacramenti profanationem ad majorem animæ damnationem. Maneat hoc ergo in cauſa, ex Gabriëliana ſequi ſententia, ne in ipſo quidem mortis aut extremæ neceſſitatis articulo abſolutionem eſſe dandam. Nunc ad te, Havermanne, pari paſſu progredior, nam in eandem cum P. Gabriëlis foveam incidis; doces prædominantem Dei propter ſe amorem neceſſariam eſſe ad Sacramentum pœnitentiæ diſpoſitionem; doces prædominantem illum Dei propter ſe amorem eſſe amorem Dei ſuper omnia, non celebrem illum quidem, & perfectum, per ſeque adeo etiam ſine Sacramenti adminiculo juſtificantem, ſed imperfectiorem tantùm & initialem; doces denique imperfectum, & initialem Dei ſuper omnia amorem, quamquam extra mortis articulum per ſe juſtificare peccatorem non poſſit; eam tamen per ſe reconciliandi vim habere in extremæ neceſſitatis & mortis articulo: ex quibus quidem omnibus hoc tuum dilemma, & tuum exurgit antecedens; vel eſt ad Sacramentum diſpoſitus moriturus peccator, vel non eſt; ſi eſt ſufficienter diſpoſitus, habet prædominantem Dei propter ſe amorem, ſive amorem Dei ſuper omnia, qui ſe ſolo, nunc ſaltem in articulo mortis, etiam ſine Sacramento vim habet reconciliandi, adeoque ſi non acceptâ abſolutione moriatur, ſolâ ſuâ diſpoſitione ſalvabitur: ſi non eſt diſpoſitus, abſolutio ipſi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus, ſicque addet peccatis ſuis ſacrilegium ſeu Sacramenti profanationem ad majorem ſui damnationem. Redit igitur argumentum,

&

& in meum conſequens rurſum delabor: ergo prodeſſe non poteſt abſolutio ſi æger diſpoſitus eſt, cum ſolâ diſpoſitio effectum abſolutionis hic & nunc ſufficienter ad animæ ſalutem ſuppletura ſit; ſin autem diſpoſitus non ſit, oberit miſero ad majorem animæ damnationem; ergo tutius eſt hic & nunc abſolutionem prorſus negare, cum dando prodeſſe non poſſim, nec nocere poſſim negando; & è contrario nocere poſſit, ſi detur, ſacrilega abſolutio, ſi negetur, ſacrilegii periculum caveatur, nec alia damni ratio iucurratur; jam vero ſi tutius ea negabitur, & in Sacramenti adminiſtratione tutior ſemper via eligenda eſt in Macariana non minus, quam Gabriëliana ſententia, ſequetur in articulo mortis negandam ſemper eſſe abſolutionem, quod item in cauſa manere velim, Lector, ut ita commodius de legitimo hujus articuli titulo citra ullam calumniæ ſuſpicionem ſtatuamus.

Vides, Lector, nihil me ab eorum indole alienum jam inde ab articuli initio præmonuiſſe, & aliud eos quidem hic dicere, aliud per cuniculos agere nec rectos eos quidem ſed obliquos; eo tamen per circuitum tardius adrepere, quo rectâ viâ citius pervenirent, ſi ſatis auderent; ſed nec audent ſatis, nec res ſatis adhuc maturuit, & fidelium animis ante id perſuadendum, quod antiquæ Eccleſiæ firmiter perſuaſum fuiſſe fingit Macarius, eam eſſe infinitam Dei, & incredibilem propè miſericordiam, quæ ob defectum ſolius Sacramenti neminem ſit damnatura, dummodo

modo eam animi diſpoſitionem in ſe excitarit, quæ cum Sacramento ad juſtificationem, & Sacramentalem cum Deo reconciliationem & ſufficiens ſit, & neceſſaria: id enim ſi ſemel perſuaſerint, ruet paulatim ſuâ ſponte abſolutio, nec violentâ manu opus erit, ut penitus aboleatur. Quid enim eſt? nam juvat familiari exemplo (amant familiaria exempla Trium-Viri) juvat inquam exemplo familiari rem illuſtrare; ſi ægro mihi potionem medicam offeras, quæ certam quidem mortem ſit allatura, ſi febricitans ſtomachus ad eam ſatis diſpoſitus non ſit; nec valetudinem repræſentatura ſit priſtinam, niſi eam corporis diſpoſitionem invenerit, quæ per ſe ipſa ſola, etiam ſine illa potione, morbo omni, & omni malo certò medebitur; quid? tam ſtultus ego ſim æger, tam vitæ meæ prodigus, tam denique amarulentæ potionis amans, ut per eam, cum certo mortis periculo, ſi fortè ad eam diſpoſitus non ſim, curari velim, qui ſola corporis diſpoſitione, ſi diſpoſitus ſim, ſecurius ſine ullo vitæ diſcrimine convaleſcam; & eſſet homo quiſquam Chriſtianus Macariano malè & Gabriëliano deluſus dilemmate, qui non negari ſibi malit ſine ullo animæ ſuæ damno abſolutionem, quam cum tanto ſacrilegii periculo dari, nec ſecum ita cogitet: aut diſpoſitus ſum, aut non ſum; ſi ſum, eodem profectò loci recidet abſolvi & non abſolvi, ſine abſolutione æquè ac cum illa ſalvandus; ſi non ſum; ſatis quidem in Deum offenſæ eſt, ut ſacrilegium non addam; & ſatis pœnarum æternum

num me manet, ut non majora ac nova in infelicem infer-niſque ignibus devotam animam ſupplicia congeram.

Hæc de Macario, & P. Gabriëlis commiſeratione & lachrymis digna omnia; nam quæ hac ſuper re pluribus diſputat Eximius Gummarus neſcio equidem indignationemnè potius, an riſum mereantur: quid enim ait? vel eſt diſpoſitus, vel non eſt; ſi non eſt, nihil profutura, imo obfutura eſt abſolutio ob *ſacrilegium*, *quod*, inquit, *patrari conſuevit ab iis, quibus indignis abſolutio donatur, & quo deinde S. Euchariſtiam inhonorant:* ſin autem ad Sacramentum diſpoſitus eſt, non morietur, quantumvis credatur moriturus: nam ſpecioſa illa & præſumptuoſa de Divina Miſericordia oratio, quam ibi integris paginis proſequitur, & nos §. præcedenti maxima ex parte retulimus, aut hoc unum probat, aut nihil. Multa hic dici poſſunt, & dicta ſunt aliqua ſuperius, ſed non vacat argumentis abuti ad convellendam machinam, quæ riſu diſſoluta uno tota corruit. Et verò quis mihi ſerius ita ſit, aut moroſus, Lector, qui hæc ex ore Viri Eximii ſine riſu audiat; aut diſpoſitus pœnitens non eſt, aut ſi ſit non morietur; nec, quod ſcias, piè id tantum à miſericordia Dei ſperat; ſed certiſſimè præſumit, & tam certò non moriturum credit, quam credit certò nec folium arbore, ſine Providentia Dei, nec capillum capite decidere, nec paſſerem in terram: quam certò credit nihil caſu accidere, aut fortunâ: quam credit certò Deum Optimum Maximum deſtinato conſilio nemi-

nem decreviſſe in flammas infernales præcipitem dare; tamque adeò, ſi Gummaro credas, fieri non poteſt, ut bene ad Sacramentum diſpoſitus moriatur, quam poſſibilè non eſt ut providus eſſe deſinat Deus, aut miſericors. Hæc autem plane eſt in miſericordia Dei fiducia, an præſumptuoſa in eam blaſphemia?

Nunc, quod hoc §. agimus, ex hòc etiam Gummariano antecedente contra ipſum concludamus; ego vero illud ipſum itidem concludo, ne in ipſo quidem articulo mortis pœnitentem abſolvendum; ita enim ſecum Gummarianis verbis Confeſſarius quiſquam exigat: aut diſpoſitus meus eſt pœnitens, aut non eſt; ſi non eſt, oberit abſolutio ſacrilega; ſi eſt diſpoſitus, non morietur, ſi non morietur, non eſt utique extrema neceſſitas, non eſt mortis articulus: ſi nec hic, nec illa eſt, ergo eâdem mihi lege abſolvendus venit, quâ ſanus, & integris incolumis viribus; nec licet adeò eum abſolvere, niſi pœnitentialia opera ritè præmittat; *non* enim *morietur*: niſi conſuetudinem exuat, niſi metum omnem probabilis relapsûs arceat; *non* enim *morietur*: niſi denique diſpoſitionis debitæ & ſufficientis *certum* me faciat. Sed heu miſerum! id habet præterea incommodi, quod multo, quam reliquâ ante vitâ, difficilius hic & nunc *certitudo* illa obtineri poterit: ſi enim dum ſanus, nec ullo metu coactus, ſponte ſuâ, & liberè confitebatur, nec verbis ejus, nec lachrymis, nec ſingultibus credere me Gummarus volebat, quantumvis

ſin-

ſincerus ac candidus cognoſceretur, quantumvis *ſciretur nolle decipere*; non tantò ſuſpecta magis hîc eſſe debebunt ea ſigna omnia? non tantò ego ad credendum tardior, quantò minus libera, coacta magis eſt jam jam morientis Confeſſio? quantò dubitare pronius, eaſnè lychrymas aliqualis Dei amor, & odium peccatorum, an potius mortis imminentis periculum, & dubiæ æternitatis & præſens & vivacior gehennæ metus expreſſerint. At at periculum in mora eſt; animam agit, jam jam expiraverit; quid agis?ego vero abſolutione abſtineo:nam eum mori, id enim verò indicium mihi manifeſtum eſt, non eſſe eum debitè aut ritè ad abſolutionem diſpoſitum;neque enim moreretur, ſi eſſet diſpoſitus: ut adeò, quam ad dandam abſolutionem rationem vis eſſe maximam, pœnitentem coram me & in aſpectu meo mori,ea ipſa apud me ad negandam potius abſolutionem faciat,non enim moreretur,ſi ritè eſſet diſpoſitus. Vide, Lector, quâ fiduciâ ſperare poſſis à Gummaro abſolutionem in periculo mortis, qui mortem ipſam negandæ abſolutionis vult eſſe rationem. Morietur igitur, & ſine abſolutione morietur,& præſente D.Gummaro ita morietur.Quod ſi in ipſum inſurgant Parentes, Filii, Conſanguinei, multa exprobrantes, eodem, quo morienti abſolutionem negavit, vultu ad pietatem compoſito, & multa de Divina Providentia ſpeciosè præfatus rationem negatæ à ſe abſolutionis reddat, diſpoſitumque eum ad abſolutionem fuiſſe neget: nec de eo ſe quidem dubitare, cum morientem

viderit; non enim, quæ divina eſt in homines miſericordia & providentia, moriturum fuiſſe, ſi Abſolutionis capacem reddidiſſet debita & neceſſaria ad Sacramentum attritio; ut ita gratiam fecerit defuncti manibus, quod ſacrilegium caverit, majoribus alioqui ſuppliciis æternum cruciandis. Quid reſtat? niſi ut pro defuncto ſolennes Eccleſiæ preces perſolvi vetet, tamquam ejus manibus nil profuturas. Hæc cum legimus, hæc ex eorum ſententiis tam horrenda conſectaria ſequi cum intelligimus, fronti noſtræ timebimus, ſi apertè dicamus, quod ipſi tacitè per cuniculum agere & moliri videntur, & non potius majuſculis litteris huic Articulo ſuum titulum præfigemus.

Dilatam ad mortem uſque abſolutionem, ne in ipſa quidem morte eſſe concedendam.

SECTIO SECUNDA.

Cuniculus ſecundus, quo ſubruatur materia Sacramenti Pœnitentiæ.

HActenus ſubruendæ Abſolutioni Sacramentali ſtrenuè, ut vidimus, laboratum eſt; non tædet laboris; alios & alios moliuntur cuniculos, nec ullam Sacramenti partem intactam patiantur, aut integram, qui totum Sacramentum volunt abolitum: hæc ſcilicet eſt bellandi ra-

ratio ; nec uno contentus cuniculo eſt , qui hoſtilem ſubvertere arcem , & ſuis eam convellere fundamentis meditatur. Diverſis eam partibus aggreditur, ut certius ſubruat, dum à mutuis viribus vehementiores cuniculi ſinguli communi impetu fortius concutiunt ; aut, ſi non parem omnes ſucceſſum ſortiantur, detecto ab hoſtibus altero, aut conatu irrito in auras abeunte, ſuperſit denique alter, qui priore felicior unâ ſaltem ex parte armato & procincto ad incurſandum militi medium, inter laceræ ac ſemiuſtæ arcis rudera, aditum vi aperiat.

Ergo in Sacramenti materiam, non ſegnius, quam in ejus formam fecerunt, cuniculos Trium-Viri agunt; quam quidem cum Synodus Tridentina Seſſ. 14. cap. 3. triplicem ſtatuat; Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, ſuum Contritioni cuniculum, ſuum Confeſſioni, ſuum denique Satisfactioni foderunt, eodem tamen omnes artificio elaboratos, artificio illo, inquam, Vergeriano, quo nullam quidem negare partem hæreticorum more audiantur, ſed ita omnes odioſas, ita faciant oneroſas, ut, quod perferre onus ſe poſſe deſperant, ſuâ ſponte fideles aut ferre detrectent, aut, ſi ferre cæperint, excutiant.

Non vacat tamen omnes lento metiri pede cuniculos, & ſingulos eorum anfractus curioſius perſcrutari; non hoc unius ſectionis opus eſt, opus eſt voluminis integri; & ego jam ad alia feſtino, & diu ſatis ſub terra in cuniculorum latebris, & tenebris ambulavi, ut lucem ſuſpirare & li-

liberiorem aërem appetere inçipiam ; quare, quæ circà Contritionem, & Satisfactionem tacitè omnia & ſubdolè moliuntur, otioſus, & tacitus prætcribo; præſertim cum nemo quiſquam ſit Belga, qui ſurdus quidem non ſit, cujus aures quotidianæ propè querelæ non pulſaverint de importuno quorumdam hominum, & immoderato rigore, Sacramentalem ſatisfactionem, quam ſalubrem & paternam correctionem Chriſtus & Eccleſia voluere, in tyrannicam quandam carnificinam convertentium; quid? tenellis virginibus menſtruas cilicii geſtationes injungere? morientibus & ſub ipſa morte trementibus artubus perplutum frigidâ induſium injicere? fænum equorum pabulum manducandum pœnitenti imperare? & ejuſmodi ſexcenta alia, hæc hominum nil niſi caritatem ſpirantium, an carnificum inventa ſunt? hoc Jeſu Chriſti & Eccleſiæ paternum judicium, an ferale ferocientis Prætoris tribunal eſt? non eò denique hæc faciunt, ut ad equuleum citius reos, quam ad Confeſſionem pœnitentes allicias?

Contritionem autem tantam, tamque perfectam, atque omni promiſcuè hominum generi tam difficilem comparatu, non ſuadere ut optimam ad Sacramentum diſpoſitionem, ſed exigere ut neceſſariam, nihilnè ſuſpicionis in iis hominibus,qui aliundè ſuſpecti in Sacramentum Pœnitentiæ per fas & nefas pugnare deprehenduntur, nihil inquam in iis, & de iis ſuſpicionis pariat, id eos non tam amore Contritionis facere, quam odio Sacramenti? nam quod

illâ

illâ attritione, quam ſufficere ex Tridentino ſatis evincas, & quam communior, ut eam vocat ALEXANDER VII. inter Scholaſticos ſententia adſtruit, contenti homines iſti non ſint, mirum non eſt: Scholaſticos cane pejus, & angue oderunt, & qui per cuniculos gradiuntur, communi & tritâ viâ non incedunt.

His itaque, tamquam ſatis aliunde notis, tacitè prætermiſſis, quod obſcurius fortaſſe eſt, hac ſectione agamus, & accuratè ſimul ac breviter demonſtremus, quanta Confeſſioni, ut eſt ipſius Sacramenti pars & materia, ſatis aliunde, & per ſe oneroſæ onera inſuper alligent, hoc eſt, cum potiſſimùm cuniculum detegamus, quem Confeſſionis everſivum Trium-Viri jam ab annis aliquot ſecundum Vergerianas delineationes fodere inceperunt.

ARTICULUS I.

Primus ſecundi cuniculi anfractus: Repetenda ſæpè ſunt aliis & aliis iteratis Confeſſionibus eadem peccata ante Confeſſa.

AUdiſti, Lector, non apertè negant Confeſſionem, non inutilem dicunt, non ſoli eam Deo fieri volunt: hoc quidem Calviniſmum redoleret, cum quo nihil ſe habere commune videri volunt; ſed videri tantùm, nam, an finem communem non habeant, ipſi, & alii, quorum

intereſt viderint;ego vadem præſtare me non auſim;contraria certè media adhibent, ſed parum intereſt, qui eòdem properant, eâdem, an diversâ viâ incedant: & hoc ſi ſatis à Calviniſmo recedere eſt, ad Communem quidem cum iis finem, ſed per diverſa media tendere; nihil quoque inter ſe commune habere dicantur, qui, eandem arcem expugnaturi, diversâ bellandi ratione utuntur, dum in ſole alii & pulvere apertis palam, & conſpicuis machinis pugnant, alii ductis infra terram cuniculis clandeſtinâ vi periculoſiùs laborant.

Quod ſi tamen intelligere poſſis eum, qui abſolutionem nova ſemper ac nova prætexens commoda longius ſenſim, ac longius differri vult, eò clanculum & ſine ſtrepitu tendere, ut ea planè tollatur; nec poſſis tamen ſatis intelligere, Confeſſionem eum velle ſublatam, qui eadem repeti crebrius in Confeſſione peccata etiam ante Confeſſa, & frequentius adeo ipſam Confeſſionem reïterari velit: intelligas eundem ſæpè à contrariis cauſis effectum haberi, nec eum tantùm deficere, cui cibus ſeverè interdicitur omnis, & negatur; verùm & illum mori, qui congeſtis ſæpius, & intemperantius cibis oppleto turpiter, & obſtipato ſtomacho medius crepat; intelligas, quod qui nimium exigit, negare doceat, & qui onera juſtò majora, & ultra vires injicit, ea à te excuti, non ferri velit; cæterum quantò id minus primâ fronte intelligitur, tantò ſubtilior eſt cuniculus, tantòque adeo majus erit operæ pretium, hunc etiam tam ſubtilem cuniculum detexiſſe.

§. 1. *CON-*

§. 1.

CONFESSIONES DURANTE Conſuetudine recidendi peractæ tamquam ſacrilegæ omnes repetendæ ſunt.

ITa planè in terminis definit magna illa Belgii per tot annos perturbatrix Gummari Methodus, ut adeo meritò hanc Toletanæ Inquiſitionis Cenſuram acceperit, quod nata ſit, & *fideles à ſuſcipiendo & Confeſſarios ab adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento retrahere* ac deterrere: ita porrò crudè, ita indigeſtè proponit, ut invidioſo commentario opus non ſit, ad conflandam invidiam, quam ipſa per ſe, & nuda verba mirùm quantam creent: audiatur; *Confeſſiones*, inquit pag. 67. *& Communiones, quæ durante conſuetudine recidendi peractæ fuerunt, plerumque tamquam ſacrilegia confiteri oportet, manetque prætereà arcta obligatio denuo confitendi peccata mortalia, quæ quis malè confeſſus fuit, hoc eſt præter Confeſſiones & Communiones mortiferè ſacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi conſuetudine, confeſſus eſt, de integro confiteri oportet.* Rigida me herculè & dura ſententia! vidit id D. Gummarus, & paululum temperare placuit; adjicit particulam *plerumque*; quà ſcilicet elabatur, ſi fortè ab Adverſariis aliquando ad caſus quoſdam particulares, & horrenda

ſuæ ſententiæ conſectaria tractus, dogmatis ſui invidiam ſuſtinere ſatis non poſſit. Et eſt hoc quoddam Viri Eximii artificium, ubi peregrinum aliquod, & novum & à communi Doctorum ſenſu alienum dogma protrudit, præſertim ſi durius illud ſit, quàm ferat maternus Eccleſiæ ſpiritus, particulam quandam cautè inſerere, quæ ingratam inſipidæ ſententiæ aſperitatem mitigare paululum & lenire videatur; tum illud etiam ſtudiosè agit, ne clarè ſatis Lector intelligere poſſit, quos caſus excludat particula illa reſtringens: credo, ut ubi preſſius homo urgebitur, ſicut cauſæ magis expedire videatur, ita ad arbitrium ſuum aliter, atque aliter pro loco ac tempore interpretari particulam ſuam poſſit: ſic neque hic illud ſuum *plerumque* ſatis explicat, nec aliud ex toto illo dubio 3. exſculpere poſſum, niſi eum unum excipi caſum, quo vel per ignorantiam aliquis, utique invincibilem, vel per oblivionem, utique inculpabilem, excuſari poſſet: neque enim plùs erui poteſt ex his ejus verbis: *Quin & hoc fieri nonnumquam poteſt, ut poſt illam relabendi conſuetudinem quædam Confeſſiones, Communioneſque notabili poſt tempore ſecutæ rurſum fuerint ritè peractæ*; & rationem hanc ſubdit paulò infrà: *Obligatio, quæ diverſis è factis occaſionem ducit, potuit procedente tempore, & factorum* OBLIVIONE, *& faciendorum* IGNORANTIA *contegi, ut pœnitens poſteà in bona fide fuerit; atque adeò minimè neceſſum, ut Confeſſiones ſecutæ ſemper fuerint invalidæ.* At verò ſi nihil amplius Gummariana particula

cula ſignificat, nec mitior eſt, quam ut ſolum inculpabilis oblivionis, & ignorantiæ invincibilis caſum excludat, otioſa profectò ita eſt, ut ſecurè omitti potuerit, neque enim periculum erat, ut univerſaliter ſine ulla reſtrictione, nedum additâ voce *plerumque*, aſſertio à Gummaro poſita ad oblitum inculpabiliter, aut ignorantem invidiosè ab Adverſariis extenderetur. Sed & illud hic obſervandum venit, famoſum illud *plerumq;* non ſpectare ad Confeſſiones & Communiones durante conſuetudine recidendi peractas, ut ſenſus ſit, eas omnes non ſemper, ſed plerumque tantum eſſe ſacrilegas, ſed ad ſolam obligationem dictas Confeſſiones reiterandi facere, in qua ſcilicet diſpenſet aut oblivio, aut ignorantia inculpabilis: ut adeò liceat nullâ Gummari injuriâ, nec alterato ejus verborum ſenſu omittere particulam *plerumque* tamquam otioſam, & ita generaliter ſtatuere: *Confeſſiones & Communiones, quæ durante Conſuetudine recidendi peractæ fuerunt: tamquam Sacrilegia confiteri oportet, manetque prætereà arcta obligatio denuò confitendi peccata mortalia, quæ quis malè confeſſus fuit, hoc eſt præter Confeſſiones & Communiones mortiferè ſacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi Conſuetudine confeſſus eſt, de integro confiteri oportet.* Cohærent hæc, & tamquam ex capite profluunt ex alio ejus dogmate, quod ſectione præcedenti Art. 2. §. 3. plenius excuſſimus, ubi omnem conſuetudinem exutam prius volebat, quam Conſuetudinario dari poſſet abſolutio; profluunt item tamquam ex altero

altero capite, ex iis quæ pag. 62, operoſè urget, veram converſionem non fuiſſe, quam intra breve ſaltem tempus (ut fit in conſuetudinariis) in eadem peccata relapſus ſubſequatur. Conſtat ſibi pag. 97. & *à vera*, inquit, *converſione* (*cætera ſunto paria*) *plus aliis diſtant illi, qui conſuetudini diuturniori vel ad mortalia plura, vel graviora implicantur: tum quidem potiſſimum, quando hanc peccandi viam repetentes Confeſſiones interim, abſolutioneſque frequentiſſimè petierunt, &, quod caput eſt, forſan, eâdem durante offenſarum conſuetudine, ſacrilego ore S. Communione refici non erubuerunt.* Vide quid agat, à Confeſſione eos ante alios longiſſimè arcet, qui Confeſſione ante alios plùs indigent: hoc eſt, quò magis ſis æger, hoc tibi medicinam ſeverius prohibet: quod ſi ad veram tandem perfectamque cum Deo reconciliationem ſuſpirans, ex illo peccatorum luto contra retrahentem & obluctantem conſuetudinem emergere denique planè proponis, & quando, imbecillis ut es, tanto tamque arduo operi per te ipſe non ſufficis, ab Euchariſtiæ Pœnitentiæque Sacramentis ſubſidiariam gratiam imploras; ecce ſi in lubrica via cecideris iterum, ſacrilegus es, ſacrilegè confiteris, ſacrilego ore S. Communione reficeris, tantoque longius à converſione recedis, quantò propius, & ſæpiùs ad ſalutaria Sacramenta acceſſeris. Quid ita? relapſus es; at humana ea eſt fragilitas, & humanum eſt cadere, ſurgam denuò, & firmius figam pedem novâ Sacramentali gratiâ, novo robore confirmatus;

cave

cave feceris, ſacrilegia cumulabis; quid tum autem poſtea? *Confeſſiones & Communiones eæ omnes tamquam ſacrilegia iterum confiteri oportet, manetque præterea arcta obligatio denuò confitendi peccata mortalia, quæ quis malè confeſſus fuit, hoc eſt præter Confeſſiones, & Communiones mortiferè ſacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi conſuetudine confeſſus eſt, de integro confiteri oportet.* Ita Gummarus; & hæc quidem ejus verba jam tertiò repetii, ut memoriæ altius impreſſa hæreant & tenacius, quàm ut citò excidant, præſertim cum diſtinctius eorum meminiſſe §. 3. neceſsè fuerit, ubi illud potiſsimum expendemus, quot & quanta ex hoc Gummariano dogmate onera Confeſsiòni, ac pondera importunè adjiciantur.

Nihil porrò hoc Paragrapho de Macario dixi, nihil de Gabriëlis; non quod nihil dicendum ſit, aut hìc à Gummaro diſſentiant tam concordes ejuſdem Vergeriani & Arnaldici Trium-Viratus Collegæ, ſed quod nec apertè æquè, ac clarè, nec in terminis, ut loquimur, id dicant, ut facit Gummarus: & habet hoc omnis factio, ut non omnia æquè clarè dicantur omnibus, ſed hac in re ille, in iſta confidentior plùs aliquanto hic audet, ut ita in uno callidè experiantur, quid tutò deinde ac ſecurè ſuſtineri poſsit ab omnibus: & potui Macario aliquantulum parcere, ut qui Paragraphis ſequentibus ſatis fatigabitur; ut tantilla quies invideri ei non debeat.

§. 2. CON-

§. 2.

CONFESSIONES ILLO TEMPORE factæ, quo quis ex ignorantia etiam invincibili contra jus naturæ peccavit, tamquam ſacrilegæ omnes reïterandæ ſunt.

HOc tam acre abſynthium Macariano horto debemus, quamquam quid dico abſynthium ? amara quidem abſynthium herba eſt, ſed tamen ſalutaris; hoc verò Macarianum dogma amarulenti ita ſaporis eſt, ut ad animæ tamen ſalutem non faciat; faciat ad deſperationem, & ad Conſcientiarum, ut ſequenti §. reipsâ fiet manifeſtum, carnificinam.

Audiamus porrò ante omnia ipſa Macarii verba, ex quibus mellitum illum ac dulciculum floſculum legimus. *Petet aliquis*, inquit in Tyroc. pag. 374. & 375. *num ergo quis debeat reïterare ſemper ſuas confeſſiones factas illo tempore, quo ex ignorantia contra jus naturæ peccavit? ...... in noſtra ſententia quæſtio habet majores difficultates, cum enim admittamus omnem ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem, conſequens eſt, omnem etiam eſſe culpabilem. Iam autem docet communis Theologorum ſententia ſacrilegam, adeoque reïterandam eſſe Confeſſionem, quando in illa ex graviter culpabili ignorantia reticetur peccatum*

mortale;

mortale;*ob hanc rationem* VALDE PROBABILE EST, *quod tàlis* DEBEAT OMNES ILLAS CONFESSIONES REITERARE. Tum ita addit; *& hanc ſententiam vidi defenſam Lovanii in Hallis* 1670. *ſub Exim. Domino ac Magiſtro noſtro Gerardo van Werm.* Et verò Eximius ille 24. Martii dicto anno 1670. id ipſum Theſi 2. manifeſtè aſſeruerat: nec pigebit ejus ſententiam hic deſcribere, cum illam Macarius faciat ſuam, dum ait, *& hanc ſententiam*, quam nempe jam jam aſſerui, *vidi defenſam* &c. ita autem habet: *ut quis ex ignorantia juris naturæ contra jus naturæ docendo peccet*, *requiritur, ignorantiam culpâ perſonali eſſe contractam*, *quod non requiritur*, *ut quis ex ignorantia juris naturæ contra jus naturæ agendo peccet.* Quaſi vero *docere* contra jus naturæ, non ſit *agere* contra jus naturæ; ſed id nunc non diſputamus; & jam ſæpè obſervatum eſt, novaturientis farinæ Doctores quàm in alios ſeveros, tam in ſe eſſe mites. Filum Theſeos reputamus. *Quicumque ergo deprehendit*, *ſe aliquo tempore* .... *per ignorantiam juris naturæ* (etiam ſine culpa perſonali contractam) *contra illud graviter deliquiſſe*, OMNES CONFESSIONES SUAS, QUAS TEMPORE ILLO DURANTE FECIT, DEBET REITERARE. *Nec talis ſibi perſuadeat, quod talia ignorantiæ peccata per generalem Confeſſionem fuerint indirectè remiſſa. Neque per hoc, quod quis non ſit confeſſus aliqua, quia ea peccata eſſe neſcivit*, *excuſatur à Confeſſione eorum, ubi ea mortalia eſſe reſcivit*, *&* CONSEQUENTER NON ETIAM A REPETENDIS CONFESSIONIBUS *ob affectum erga illa*

 intus

intus perſeverantem inutiliter factis. Hæc eſt ſententia D. Van Werm; hanc vidit Lovanii defenſam Macarius; hanc in Tyrocinio facit ſuam; ut adeo ex verbis Magiſtri clariùs diſcipuli mentem liceat cognoſcere.

At enim de ignorantia invincibili procedit hujus §. titulus, Macarius autem de vincibili agit; tum etiam abſolutè eas reïterandas eſſe titulus dicit, Macarius verò tantum *valdè eſſe probabile*, imo & contrariam ſententiam probabilem eſſe pluribus ſuſtinet; quin & illud addit; non eſſe reïterandas in eorum ſententia, qui ignorantiam invincibilem à formali peccato negant excuſare, ſic ut multiplicis calumniæ notam turpiter contraham, qui fabricatum in meo cerebro titulum pro Macariano dogmate venditare auſim. Et ſanè poteſt hæc eſſe aliqua, nec in ſpeciem abſurda exprobratio; ego valdè probabile eſſe dico, tu, quaſi aſſeveranter id dicerem, calumniosè me traducis; ego reïterandas eas Confeſſiones doceo, quia omnis ignorantia ſecundum me vincibilis, omnis eſt culpabilis; & ne dubium eſſe poſſit, quid in eorum ſententia judicem, qui in ignorantia etiam invincibili formale peccatum agnoſcunt, illud diſertè addo, in eorum ſententia Confeſſiones eas omnes repetendas non eſſe; quid clarius? tu tamen interim contraria mihi affingis omnia, & ad invincibilem nequiter ea extendis, quæ ad ſolam vincibilem cautè ego reſtrinxi. Audio, numquid præterea? nam quæ hactenus quidem ſpeciosè objiciebas, nihil ſolidi præter ſpeciem habent. Tu vincibilem omnem

ais

ais ignorantiam, invincibilem dari in materia juris naturæ, & dari poſſe negas; fictène id neges, an verè, mox viderimus, negas tamen, & ſocium habes Eximium Huygens, nec in probatione ab eo ſejungeris, dum uterque hanc paradoxi veſtri rationem datis; omnem ignorantiam in materia juris naturæ eſſe vincibilem, quia omnis abſolutè vinci poteſt, ſaltem per gratiam; niſi quod tu addas pag. 354. vincibilem eâ etiam dici ratione, quod ſuperari, vincique poſſit, *conſulendo doctiores & ſuperiores*: ſed & illi *doctiores*, ut homines ſunt, ita & ipſi ignorare poſſunt, & ut ipſi errare poſſunt in dando conſilio, ſic tu errare in ſequendo potes; cum hoc tamen diſcrimine, quod illis impunè, & ſine ullo crimine contrà ipſum jus naturæ conſilium dare liceat, tibi ſine peccato id ſequi non liceat; atqui hoc non eſt ignorantiam ſuperare *conſulendo doctiores*, ſed ex conſilio doctiorum ipſum formale peccatum poſſe incurrere: hoc ergo cum Gummaro urge potius, omnem eſſe vincibilem, quia omnis abſolutè vinci poteſt, ſaltem per gratiam; ſed ſi tibi conſtare vis, eâdem pertinaciâ in materia etiam juris poſitivi, & facti invincibilem dari, aut dari poſſe, nega, & pernega, ne tuo ipſe gladio à nobis juguleris: obtinet enim hîc æquè, atque iſtic clava iſta veſtra herculea *omnis ignorantia* (etiam juris poſitivi & facti) *abſolutè vinci poteſt ſaltem per gratiam*. Pergamus porro, non enim noſter hæret hìc nodus: omnis ignorantia juris naturæ eſt *vincibilis*, ita tu dicis, & nos tantiſper cogitemus, ergo qui omnem

facis *vincibilem*,dum de *vincibili* agis,*nullam* excludis,& reverà *de omni* agis ;quod ſi *de omni*, etiam de illa, quam communius mecum Theologi *invincibilem* putant, & nominant; ego ergo dum *invincibilem* ignorantiam dixi, eam dixi , non quam tu, qui nullam hujuſmodi admittis, ſed Theologi paſſim *invincibilem* eſſe volunt , & tu *vincibilem* dicis, adeoque non excludis , dum iterandas eſſe confeſſiones contendis durante ignorantiâ *vincibili* factas , ſed tuâ illâ *vincibili* , hoc eſt , quæ *invincibilem* aliorum in ſe etiam comprehendit ſub nomine vincibilitatis, quia & illa *abſolutè vinci poteſt, ſaltem per gratiam*, quod adverſarii non negant , quoque adeò ſenſu *invincibilem* ſuam fateantur eſſe etiam *vincibilem* , & talem dici facilè patientur: nulla ergo calumnia ſi confeſſiones omnes durante ignorantiâ factas , etiam eâ , quæ in ſcholis nomine *invincibilis* ignorantiæ venit , iterari te velle jam inde ab initio Paragraphi dicebam.

Nec hìc ſtabimus , ulterius tuis ipſius verbis convincendus venis : nam cujus hæc vox eſt ? *Cum vel non detur ignorantia invincibilis juris naturæ , uti probabilius putamus , vel* , SI DETUR : EQUIDEM NON EXCUSAT A PECCATO FORMALI , *&c.* Noli tuam Theſim erubeſcere Præſes ; tua eſt , & inter eas concluſiones, quas anno 1672. 12. & 13. Julii ſuſtinuiſti , ordine vigeſima. Neque pudeat, quod inconſtantior ſententiam mutaveris poſteà in Tyrocinio pag. 353. ubi ita loqueris : *Secundum veriorem , & in SS. Patribus fundatam ſententiam nulla datur ignorantia*

juris

juris naturæ, quæ ſit invincibilis & inculpabilis, contrariam huic aſſertioni ſententiam ſaltem quoad primam partem diu tenui, & bis in publicis Theſibus defendi: NULLAM SCILICET IGNORANTIAM INVINCIBILEM JURIS NATURÆ EXCUSARE A PECCATO, *etiam ſupponendo dari talem invincibilem. At quia hoc multis nimis durum videtur, tandem aſſertionem hanc publicè defendi: licet valdè probabilem adhuc judicem alteram ſententiam, eamque non contemnendis rationibus fulcire poſſem.* Ne pudeat, inquam: veniam facilem meretur inconſtantia, quæ tam plauſibilem præfert rationem; mutaſti ſententiam, non quia verius, & in SS. Patribus fundatum magis erat aliud, ſed *quia hoc multis nimis durum videtur*; niſi fortè *quia hoc multis nimis durum videtur*, exinde verior cæpit eſſe, & in SS. Patribus fundata ſententia contraria. At herculè quantò laudabilior nobis fuiſſet Macarius (& eſſet Gummarus, &, ut alios taceam, Gabriëlis) ſi & hanc, & alias in variis materiis ſententias feliciùs mutaſſet, & veriùs, nec deëſſe potuiſſet honeſta ratio, ubi non illud tantùm obtineret, quod multis hoc & illud nimis durum videtur, ſed quod & hoc, & illud non uno fulmine Roma damnaſſet: dixi porro *feliciùs mutaſſet, & veriùs*; nam non ſatis quidem ſincerè ſententiam ſuam mutaſſe hìc Macarius videtur; qui enim tam piis oculis dimiſſum à ſe dogma reſpectare pergit, ut *valde probabilem adhuc judicet & non contemnendis rationibus fultum*, nec aliam rationem prætexit, quàm quod

hoc multis nimis durum videtur, an non is idem quidem ſentire, ſed aliter loqui, & verba tantùm, non animum mutaſſe cenſendus eſt, verba repetiturus eadem, ſi mutatæ phraſeos ratio ceſſet, & *hoc nimis durum multis videri* deſinat? imo, ſi profundius rimamur, id quidem fecit, ut, cum ante hæreret dubius, dareturnè, nec ne ignorantia invincibilis, & ita dubiè loqueretur: *Cum vel non detur ignorantia invincibilis juris naturæ, uti probabilius putamus, vel ſi detur: equidem non excuſet à peccato formali, &c.* alterutrum poſteà determinans, nec dari eam, nec dari poſſe planè definierit, tantùm tamen abeſt, ut illud etiam negaverit, quod hypotheticè anteà confidenter aſſeruerat, *ſi detur*, non excuſaturam à peccato formali; ut etiam in Tyrocinio temperare ſibi non poſſit, quin pag. 374. quod ante item pag. 353. feciſſe eum vidimus, iterum exclamet valdè probabilem eam eſſe ſententiam, quæ, & invincibilem admittit, & eam à culpa negat excuſare; hoc tamen conſtanter ſuſtinet, nihil inde ad difficilem illam tot Confeſſionum reïterationem ſiniſteriùs poſſe concludi: & in hoc præcipuus rei noſtræ cardo vertitur, id nitidè ut oſtendatur, ignorantiam invincibilem, ſi non excuſet à culpa formali, nec excuſare ab illa ipſa Confeſſionum reïteratione. Id autem ut agam, dabo illum honorem Franciſco Simonis, & Ulico Jonſon, ut quod apud eos Conſectarium reperi, eorum etiam verbis illuſtrem, tantoque id agam libentiùs, quòd Macarium alter,

alter

alter Gummarum preſsè impugnet, quorum ſcilicet hac in re affinis eſt, & communis ſententia.

Ac primo quidem Franciſcus Simonis hoc pag. 23. ponit, & probat conſectarium, *is qui agendo contra legem naturæ peccavit invincibiliter ignorans legem, juſtificari non poteſt eâ ignorantiâ* : IMO SACRILEGIA ACCUMULAT, UTENS INTEREA SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

Etenim manente eâ ignorantiâ, fieri non poteſt, ut ſuſcipiat eam animi diſpoſitionem, quæ voluntatem peccandi excludat : nulla deteſtatio peccati excludet voluntatem id faciendi, quod omninò ignoratur eſſe peccatum; quæ res eſt manifeſta.

Hinc ſequitur NON SINE SACRILEGIO EUM UTI SACRAMENTIS; *non enim excuſat ignorantia : eſt namque ignorantia juris, aut certè ignorantiam juris naturæ involvit. Non ignorat integrè confitendum eſſe, non etiam ſtatum gratiæ eſſe neceſſarium, ut ſumere liceat Euchariſtiam, ignorat ſe non confiteri integrè; uti & non eſſe ſe in ſtatu gratiæ : hæc facti ignorantia reipſa ignorantiam juris includit. Ignorat ſcilicet, ſe non confiteri integrè, quia ignorat ſe peccaſſe contra legem naturæ : hoc verò ignorat, quia legem naturæ ignorat. Hæc juris naturæ ignorantia tollatur, & ſciet ſe non confiteri integrè, ſeque non eſſe in gratia : non poteſt mereri excuſationem iſta facti ignorantia, niſi & mereatur ignorantia juris, quam includit.*

Tum ita ad aliud Conſectarium procedit : *Is qui agendo contra*

contra legem naturæ peccavit olim invincibiliter ignorans legem; obligatur non ſolum confiteri peccatum illud, ſed & iterare confeſſiones omnes, quas fecit in ea ignorantia, & confiteri ſacrilegia toties commiſſa, quoties Sacramentis eſt uſus. Etenim & irrita fuit omnis confeſſio & ſacrilegus Sacramentorum uſus, ut patuit. Vidit hoc omne genus Conſectarii Autor Theſeos (D. Van Werm) *cujus priorem partem ſupra dedi* (& nos ſupra dedimus) .... *quicumque ergo deprehendit* .... *ſe per ignorantiam juris natutæ graviter deliquiße, omnes confeßiones ſuas, quas tempore illo durante fecit, debet reïterare.*

Ades nunc huc Gummare, & mecum ea repete, quæ pag. 52. congerit Ulicus Jonſon ad argumentum ſextum; & ſi hactenus refellere eum, vel, ut nos putamus, non potuiſti, vel, ut tui nos volunt credere, dignatus non es; audire eum ſaltem ne pigeat; cæterum neſcio an ſuperbiuſculi id animi non ſit Scriptores ita alios paſſim deſpicere, ut vix ulli reſpondere digneris; exſpectat reſponſi aliquid Gerardus van Vianen, exſpectat hic ipſe Ulicus Jonſon, exſpectat jam dudum, & fruſtra, Eruditiſſimus D. Du Bois; vigila Gummare, & attende; vera, & germana caritas humilis eſt, & neminem deſpicit; ego certè quidlibet malim ſuſpicari, etiam convictum te eſſe, quam ſuperbum; nunc ad Ulicum.

Si actio, inquit pag. 52. *legi naturæ contraria ſtatüat hominem, qui legem illam invitus ignorat, verè coram Deo*

cri-

criminis reum, ſupplicioque obnoxium, homo ille juſtificari numquam poteſt ullo modo, ſaltem quamdiu ignorantia involuntaria (qualis ſine dubio veſtra eſt, quæ non alio ſenſu, ut vidimus, vincibilis eſt, quàm quod abſolutè vinci poteſt ſaltem per gratiam) *perſeverat: non per Sacramentum Baptiſmi, non per Sacramentum Pœnitentiæ, non etiam per Martyrium; nam nullo ex his medio juſtificari poteſt ſine contritione, juxta illud Tridentini Seſſ.* 14. *c.* 4. *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius. Contritio porro debet involvere propoſitum non peccandi de cætero, debetque excludere voluntatem peccandi; atqui ejuſmodi contritionis motum elicere numquam poteſt homo, de quo agimus: nam quamcumque contritionem illum cogitaveris elicuiſſe, cum illa poterit ſtare voluntas peccandi, ſive ponendi illam actionem, quam invitus ignorat legi eſſe contrariam: imo ſi ex ignorantia involuntaria* (& ita invincibili, ut abſolutè tamen poſſit vinci, ſaltem per gratiam) *certò mihi perſuadeam, fornicationem V. G. in certis quibuſdam circumſtantiis lege caritatis mihi eſſe præceptam, omnis mea contritio neceſſariò tacitè involvet voluntatem in iſtis circumſtantiis fornicandi, adeoque peccandi; tantum aberit, ut voluntatem peccandi excludat. Hinc eſt,*

Conſectarium primum: Confeſſiones omnes iſtius hominis ſunt irritæ: nam caruit contritione verâ, cujus defectu confeſſio eſt irrita.

Conſectarium ſecundum: Confeſſiones omnes ſunt iterandæ: nam confeſſio irrita eſt iteranda.

Hæc in unum quidem Gummarum Ulicus, at non unum Gummarum ferit, ferit & Macarium: facit enim conſentiens utriuſque inter ſe doctrina, ut, quod ex alterutra conſequitur, ex utraque conſequatur. Uterque *omnem* ignorantiam, etiam eam, quam cæteri paſſim auctores *invincibilem* vocant, *vincibilem* dicit. Uterque hanc eandem rationem adfert, quia *omnis*, atque adeo famoſa illa etiam *invincibilis*, vinci abſolutè poteſt, ſaltem per gratiam. Atque ita pari hactenus paſſu uterque procedit; prævolat dein Macarius, &, quod ex Gummari ſententia deducit alius, ipſe in ſua ſententia admittit conſectarium; & valde probabile eſſe ipſemet contendit, omnes confeſſiones eſſe reïterandas, quæ durante ignorantia *vincibili* juris naturæ fuerint peractæ; ſic tamen ut per *vincibilem* non excludat Adverſariorum *invincibilem*, utpote, ipſis etiam fatentibus Adverſariis abſolutè, *vincibilem*, ſaltem per gratiam. Jam vero cum is Theologus *valde probabile* eſſe dicat, qui probabilitatis hoſtis acerrimus, in ſuſcipiendis præſertim, & adminiſtrandis Sacramentis, nihil, niſi quod certum eſt, aut ſaltem, ubi omnia probabilia, id ſolum quod tutius eſt, ad praxim admittit; potuit abſolutè dici in titulo, quod valde probabile Macarius dixerat & manifeſtè tutius eſt: atque ita hanc quoque calumniæ ſpeciem abſtergimus, & hujus paragraphi titulum planè facimus Macarianum.

§. 3.

§. 3.

EXCUTITUR DILIGENTIUS hic primus anfractus, & quàm everſivus ſit Confeſſionis pluribus oſtenditur.

ADſum vobis iterum inconſiderati Sacramenti Pœnitentiæ Reformatores, nec ſolus, ſed utrumque latus iiſdem ſtipatus ſubſidiis, Franciſcum inter & Ulicum medius, egregium illud, & nobile Theologorum par mecum in arenam reduco.

Iterandæ ſunt Confeſſiones omnes durante conſuetudine recidendi peractæ, & tamquam ſacrilegæ iterandæ: ita nos §. 1. docebat Gummarus, & erubuiſſe putem cum talia doceret, docebat tamen; Iterandæ ſunt Confeſſiones durante ignorantia juris naturæ, etiam invincibili peractæ, ita §. 2. docebat Macarius, & ex Gummari ſententia inferebat Ulicus Jonſon: non contemnendus cuniculus eſt, ignoſcant mihi quicumque Adverſarii ſunt, non inanis ſuſpicio eſt, multùm ruinæ Confeſſioni hic cuniculus minatur, quod ferri non poteſt onus, excutitur; excutitur jugum, quod tyrannicum eſt, & frequentes illæ iterationes, & reïterationes Confeſſionum eò denique pertinent, ut nulla fiat omninò Confeſſio, ut carnificina fiat conſcientiarum, ut in deſperationem agantur anxiæ fidelium mentes.

Audi Franciſcum Simonis : *Scopus*, inquit pag. 26. *dogmatis capitalis* hic eſt : *Confeſsio carnificina conſcientiarum, ac denique deſperatio.* Agit autem de peccatis ignorantiæ juris naturæ : *Scopum hunc videbis, ſi attenderis ; primò, Confeſsiones ejus hominis, qui peccavit olim ignorans, omnes fuiſſe irritas, & ſacrilegas durante ignorantiâ, adeóque iterandas : in hac vero iteratione, ſi confitentem fugerit circumſtantia, quam poſteà diſcat graviter adverſari legi naturæ, rurſum iterandas eſſe omnes, & ſic porrò : Secundò, neminem quantumvis doctum, aut ſanctum, ſibi perſuadere poſſe, ſe depuliſſe ignorantias omnes juris naturæ tam varii, tamque implexi in tanta varietate materiarum, Iuſtitiæ, Caritatis, Religionis, Caſtitatis, aliarumque virtutum : adeóque neminem ſibi poſſe perſuadere, nullum ſupereſſe iſtius generis peccatum ſibi expiandum. Nulla diligentia, nullæ Confeſſionum iterationes ſecurum reddent.* Nec adhuc poteſt diglutire hunc bolum, ergo illum iterum maſticat in ſupplicatione ad Pontificem Maximum pag. 28. *His paucis animum advertat, tua Sanctitas, is qui olim ex invincibili ignorantia* (quæ tamen abſolutè vinci poſſit, ſaltem per gratiam, & hoc ſenſu ſit vincibilis) *peccavit graviter, extra Dei gratiam vixit, quamdiù deinde in ignorantia vixit : Confeſsiones iterandæ omnes ; ſi quid poſteà novi diſcat hujuſmodi peccati olim commiſsi, nihil actum iteratione illâ Confeſsionum, iterandæ rurſum omnes. Si quid ignorantiæ, ex qua olim peccavit graviter, adhæreat uſque*

ad

ad mortem, ſuppliciis deſtinatur æternis luenda illa omnis peccatorum ſeries, Confeſsiones ſacrilegæ, cæterorumque uſus Sacramentorum, tot ſacrilegiorum reus. Iudicet tua Sanctitas an aberraverim, ſcopum dogmatis deſignans Confeſsionem carnificinam conſcientiarum, ac denique deſperationem: eadem inculcat, repetitque pag. 33. & alibi: uſque adeo digeri illa ſatis non poſſunt Catholicó ſtomacho.

Inſtat æquè preſsè Ulicus Jonſon, & eâdem parte Gummarum aggreditur. Pag. 53. audiamus: *Confeſsiones omnes ſunt iterandæ* ..... ſed & *Confeſsiones, durante ignorantiâ iteratæ, rurſum ſunt irritæ deficiente contritione verâ, quæ haberi non poteſt, dum ignorantia perſeverat* (ut ſuprà probatum eſt) *iterandæ ſunt igitur iterum, tertiò, ſæpiùs, nihil umquam valituræ: en carnificinam conſcientiarum. Quæ igitur ſpes ſalutis homini miſerrimo? eliciat, inquies, caritatem Dei ſuper omnia in gradu quodam perfectiſsimo: at quî poteſt? caritas neceſſariò includit voluntatem ſeriam numquam graviter offendendi Deum, quem àmàt ſuper omnià: càritas autem iſtius hominis* (de quo ſuprà §. præcedenti) *involvet propoſitum committendi fornicationem in iis circumſtantiis, in quibus ex ignorantia minimè voluntaria* (& invincibili, abſolutè tamen vincibili, ſaltem per gratiam) *judicat ſe lege caritatis obſtringi ad fornicandum, erit igitur caritas illa voluntas peccandi, atque adeo caritas nulla. Quod nam igitur ſuggeris remedium animarum Medice? nihil ego iſti homini ſupereſſe video, præter abyſſum deſpe-*

 rationis,

rationis, unde emergat numquam. Exſpectabo ut ſuggeras remedium aliquod : hactenus ille; & adhuc expectat patienter, ſed expectet licet, nec dum ſuggerere aliquod dignatus eſt Gummarus, aut potius ..... nam, jam dixi, quidlibet ſuſpicari malim, quàm à ſuperbia rationem tam pertinacis ſilentii petam.

Nec prætereundum hîc videtur, quamquam ad ſectionem primam propriè id ſpectet, conſectarium aliud de abſolutione, quod argumento ſeptimo ad hominem pluribus & accuratè proſequitur; hæc ſumma eſt; abſolutio dari non poteſt, ſaltem extra neceſſitatem, niſi certò moraliter conſtet de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis; hæc in eo ſufficiens non eſt, niſi adſit ſufficiens contritio, nec erit ea ſufficiens, quamdiu aderit ejuſmodi aliqua ignorantia; debebit ergo moraliter certò conſtare, nullam in pœnitentis animo ignorantiam hujuſmodi reſidere : & quando id conſtabit? nam an ipſe tam temerarius ſit Gummarus, ut id de ſe affirmet? quid tu autem ad hæc Gummare? in tua doctrina vitium eſt, an in Ulici dialectica? nam ubi tam horrenda conſectaria video, in alterutra vitium eſſe neceſſe eſt. Sed fruſtra eſt; ſilentiarius nobis factus eſt Gummarus, tacere certus eſt.

At non tacebo ego, & jam dudum, opinor, lector, proprium aliquid à me exſpectes, qui tam liberaliter aliena retuli; ego verò reliquum paragraphi mihi vindico; conſectariis jam datis ſuum pondus adjicio, & periculoſum

cani-

cuniculi anfractum diligentius perſcrutans, per tot tamque frequentes Confeſſionum iterationes, ad nullam denique iri demonſtro, res paulò altius repetenda eſt.

Res confiteri dura,& grande Confeſſio onus; quid? ſuperbum, ut ſumus, homines genus, & ad propriam attentum gloriam nos accuſare ipſos? deque occultis, & infamibus prorſus criminibus accuſare? quod in equuleo tormenta inter & minas non manifeſtaremus, id ſponte & liberè homini alteri prodere? quæ in nobismetipſis erubeſcimus facta, quorumque adeo memoriam in nobis, ſi poſſimus, ipſis extinguamus, ea & eloqui alteri, & novam rurſum in cognitionem, ſic quaſi novam in lucem reproducere? heu! quàm pudibundâ fronte, quàm tremulâ linguâ, quàm mæſtum ſuſpirantibus labiis, quàm pudore ſuffuſis genis id fieri neceſsè! verè grande Confeſſio onus, & dura res confiteri! Da mihi puellam cæterà probam, & honeſtam: ſed heu! illa, illa proba, trahente foris diabolo, titillante intus libidine, moroſo conſenſu in mollitiem turpiter incidit; aut etiam invitante præthereà libidinoſo ſcurrâ, & alliciente loci ſolitudine, victrici concupiſcentiæ (cui nempe ex novaturientium laxiſſimo, & contra Concilium Tridentinum falſiſsimo effato reſiſti non poſsit) ſemel ſuccubuit infelix. Da mihi matronam optimæ totâ urbe famæ, & honeſtiſsimam vulgò habitam, & erat ſanè cur haberetur; & illa tamen, ut eſt proclivis in malum natura noſtra, abſente diutiùs marito, ſolitudinis pertæſa reditum dum

ſuſ-

ſuſpirat; ecce tibi, communis familiæ amicus peregrè advenit, lautè pro amicitiâ hoſpes excipitur; nihil hactenus mali, ſed periculi plena omnia; ecce media intervenit concupiſcentia, illa, illa victrix, impuros ignes afflat diabolus; hoſpitalitas tranſit in libidinem, &, quod mediâ ante horâ vel cogitare horruiſſet, reipsâ totum violat maritalem perfida adultera: ſed mox, ut non erat de meretritio grege, vix admiſſum eſt crimen, & jam erubuit, &, quod ſemel admiſit, millies damnavit. Eheu! quæ deinde in puella illa, quæ in hac matrona interna lucta, quàm anxia, quàm aſsidua? dum & facti piè pœnitet, & ad Chriſtianam Confeſsionem aſſurgere tentant pœnitentes feminæ; & interim obluctatur pudor, gravis hoſtis, revocat naturalis verecundia, ipſa pertinaciter reſiſtit natura, & turbatus intra viſcera ebullit ſanguis; viden, ut expalleſcant? ut lucem fugiant, & hominum frequentiam, ut ſolæ in obſcuras latebras recedant? & in hac ſolitudine tamen, & in his tenebris adhuc ſe erubeſcant. Ægras ſuſpicantur Domeſtici, ſolantur Parentes, Sorores, Conjux, ſed refricat turpem memoriam ipſe Domeſticorum aſpectus, & importunum ſolatium; & cujus facti ſolæ ipſæ ſunt teſtes, ejus omnes putant eſſe conſcios; ergo in ſolitudinem iterum, iterum in latebras, ubi ſuis ſe lachrymis, & gemitibus exedant. Vah! hæc de me fateri crimina! nec alieno ore, ſed proprio fateri! & quid Sacerdos cogitabit? & hujus ego vultum ultrà, & oculos ſubire potero? & non emori

emori toties videbor, quoties aut à me ipſum, aut ab ipſo videri me credam? & ut me non videat, quæ de me etiam abſens non ſuſpicabitur? dum hæ cogitationum turbæ noctibus integris inſomnes animas fatigant, dum fauces præcludit dæmon, ne ſuum ipſæ dedecus umquam eloquantur, dum cum dæmone conſpirat ingenitus pudor; non deſerit miſeras miſerator omnium Deus, & cæleſtes gratiæ ſuæ motus benignus emittit: optimè: recreantur paululum (tanta eſt Divinæ gratiæ vis) pectus iterum, atque iterum percutiunt, & ſemiapertos oculos ad cælum prope auſint tollere; in genua provolvuntur, & reconciliari ſuo Deo, quovis velint commodi diſpendio: tenella membra ciliciis, & voluntariis ejuſmodi afflictionibus crucient, exeſum corpuſculum jejuniis macerent, ipſum ſanguinem, uti nunc lacrymas, & vitam profundant, quidlibet demum patiantur, dummodo confiteri neceſſe non ſit.

Et verò Trium-Viri, rigidi pœnitentiarum amatores, ſi æqui eſtis rerum æſtimatores, id mecum ſtatuetis, peccatorem vix eſſe ullum, qui non pœnitentias malit ſubire quaſlibet, ipſamque adeo confeſſionem maximæ graviſſimæque inſtar pœnitentiæ non habeat.

Inſtat interim fortior è cœlo vis; ſe ſuumque pudorem chriſtianâ fortitudine ſuperent, & quod facere impiè contra Deum non puduit, id pro animæ ſalute utiliter, & piè confiteri non pudeat: vincit gratia, abſtergunt lacrymas, confiteri certæ ſunt, ſurgunt, ad templum procedunt,

ſubinde tamen domum reſpectantes; ter ſedem confeſſionalem tangunt, ter revocantur, & ipſe indulgens animo pes ad eundum tardus, & tarda ad confitendum lingua eſt: heus infelices! jam eratis in portu, & procelloſum mare ſic miſeræ repetitis? agite, exſpectat vos in Miniſtro & Vicario ſuo ad veniam, & amplexum paratus Deus, ſecuritas Conſcientiæ, peccatorum venia, Gloria æterna, Dei amicitia uno tantum conſtabunt verbo, difficili illo quidem, ſed uno tamen: agite ſemel tantùm, quantulum eſt quod exigitur? ſemel tantum dicere opus, tormenti id quidem genus eſt, ſed perbreve & niſi receſſiſſetis, jam dictum fuerat; agite, ſemel dicite, & æternum licebit ſalubriter tacere, imo & obliviſci. Audimur, redeunt alacriores, tantum potuit una hæc, & brevis vox *ſemel*: ſalva res eſt, à gemitu incipiunt, deſinunt in lacrymas, & jam confeſſæ ſunt, felices, quæ ſemel eloquendo æternum, & apud homines ſilentium, & apud Deum oblivium ſuo crimini induxerunt.

Nunc tuam Lector fidem! ſi in Macarium illæ, ſi in Gummarum incidiſſent, putas inducendas fuiſſe, ut ſæpius idem confiterentur, & non potiùs obdurandas ut numquam? putas reverſuras fuiſſe in templum ad animæ ſalutem, & non potius deſperabundas domum ad laqueum? quæ enim eorum vox, quæ eorum eſt oratio? age & pudorem ſuperare aſſueſce, qui ſæpius ſuperandus erit; ſemel peccaſti, at non ſemel erit confitendum; quod ſemel admiſiſti, centies erit repetendum: quid ita? ſi in idem peccatum,

tum, quod multis hodie cum lacrymis confiteri paras, pro humana corruptæ naturæ fragilitate denuò relabaris, ipſa hodierna irrita eſt confeſsio, & repetenda; ſi, excuſſo quantumvis diligenter Conſcientiæ ſinu, quidquid occurrerit dubiè aut certò, candidè totum dubiè, aut certò, uti habes conſcientiam, elocutus fueris, ex ignorantia intereà juris naturæ invincibili, nec alio ſenſu vincibili, quàm quod abſolutè vinci potuerit ſaltem per gratiam, peccaſti, & id tu peccatum nunc taces, non voluntariè, ſed ignoranter, quia ſcrupulum ejus, quia conſcientiam non habes; nil proderit confiteri, ſi deprehendas poſteà jus naturæ à te quantumvis ignoranter violatum; repetendæ confeſsiones omnes, quia irritæ omnes, omnes fuerunt ſacrilegæ: repetentur igitur; at ſi & poſt reïterationem illam novi aliquid ejuſmodi occurrat, reïterandæ omnes ſunt denuò, & ita tertiò, ſæpius, imo ſi ad mortem uſque ignorantiæ aliquid adhæſerit, reſtant peccata, non niſi ſacrilegè confeſſa, æternis pœnis luenda omnia, nulla enim valida fuit durante hâc ignorantiâ, aut eſſe potuit contritio; nulla fuit valida, aut eſſe potuit confeſſio; & frequens ille, ac toties repetitus Sacramenti uſus non delevit peccata, ſed ſacrilegiis cumulavit; age ergò, pudorem omnem aſſueſce vincere, ſemel peccaſti, non ſemel erit confitendum; non ſemel illud pudoris martyrium ſubeundum, quod ſemel admiſſum centies eloquendum eſt; nullus confeſſionum finis, nec ulla tamen poſt eas omnes reïterationes ſecuritas, & quis omnem ignorantiam

juris naturæ, tam varii, tamque in centum materiis implexi à ſe depulſam eſſe temerariè confidat? & ut id de ſe præſumat pænitens, quis de pænitente ſuo Confeſſarius moraliter id certò judicet, quod ne probabile quidem ulli Probabiliſtæ fiat? tam certum ergo erit moraliter, neminem eſſe diſpoſitum ſufficienter ad abſolutionem, quàm certum erit, neminem ab omni omninò ignorantia juris naturæ eſſe immunem. Cui ergo demum impertiri poſſit abſolutio? aut quis tam ſit præſumptuoſus, ut cum tanto ſacrilegii periculo confiteri audeat? tuam igitur fidem Lector! poterit hæc tam blanda vox, & tam ſuavis de Confeſſione ſententia (eſt autem hæc, ut vidimus, partim Macarii & Gummari, partim ex eorum placitis per neceſſariam conſequentiam ſequitur) poterit, inquam, reſilientes ad Sacramentum revocare, & non potius ſponte etiam & alacriter accedentes avertere? Nota ergo diligenter artificium, & noxium, nec contemnendum cuniculum, materiæ ſacramentalis ſimul ac formæ deſtructivum; confeſſionis illud tam grande, ut vidimus, & experimur, onus novis ad deſperationem uſque, & animarum carnificinam oneribus immites cumulant; atque ita paulatim intelligitur, quod in ipſo paragraphi limine obſcurius videbatur, ad nullitatem Confeſſionis per tot etiam, tamque frequenter iterandas confeſſiones per cuniculum ſubdolè perveniri. Nimis ſcilicet quàm verum eſt Salomonis Proverbium *qui vehementer emungit elicit ſanguinem* Prov. 30. v. 33. quam gnomen rigidis Con-

Confeſſariis opportunè aptat Cornelius à Lapide ; & poſſumus filii meminiſſe, dum Patris verba legimus ; nec hiſtoriam opinor Reformatores illi noſtri è ſacris Codicibus utilius ruminarent aliam, quàm quæ de Roboamo habemus 3. Reg. 12. ubi id ante omnia vellem ſecum attentè exigerent, quæ denique cauſa fuerit tanti, tamque aſſidui ſchiſmatis, quo & à Roboamo ſimul, ac domo David decem tribus irreparabili damno defecerint ; ne & ſuo ipſi rigore, ſi pergant, id umquam efficiant, ut .....ſed ad alium anfractum potiùs nos eamus.

ARTICULUS II.

Secundus hujus cuniculi anfractus circa Sigillum Sacramentale Confeſsionis.

NUllus in militari expeditione obſeſſæ urbi fatalior cuniculi locus, quam, in quem omnes ambages & anfractus deſinunt, & qui recipiendo militari pulveri deſtinatus eſt : nec ullus ſacramentalium cuniculorum Confeſſioni fatalior anfractus, quàm qui infirmando Confeſsionis Sigillo paratur ; niſi id plus fortè eſt, quàm cuniculum fodere, & potius accenſum fomitem ipſi pulveri admovere ; & verè actum eſt prorſus de Sacramento, ſi hanc ſemel flammam Sacramentales cuniculi conceperint, &, uno convulſa impetu, in auras ruinoſa abit Sacramentalis Confeſsio.

Res confiteri dura eſt, jam id articulo ſuperiori vidimus; & de induſtria ſtudiosè, & pluribus, & ad oculum, ut loquimur, demonſtravi; jam ante enim prævidebam, ejus uſum articuli præcedentis minimè circumſcribendum anguſtiis; ſed ad hunc etiam articulum facturum vivis id ſemel coloribus depinxiſſe, & vivaci ideâ ſemel id comprehendiſſe. Durum igitur, non enim eſt cur id diſſimulemus, durum eſt, ad interiora viſcera, & abſtruſos conſcientiæ & cogitationum receſſus, ſoli Deo nobiſque pervios hominem volenter admittere, ſordeſque ei ſuas omnes detegere; ſed grande ut id ſit onus, & ita grande, ut ad fidem noſtram benè cæterà diſpoſitos, hoc & deterreat unum, & avertat Hæreticos; volentes tamen patienter æquè, ac fortiter humeros ſubmittit Chriſtiana pænitentia, dum divinà & gratiâ adjuta & luce fidei illuſtrata, in Confeſſario Dei Miniſtrum & Vicarium intuita, Deo ſe, non homini confiteri Catholicè credit, ſurdo quidem non loqui, ſed loqui muto, in ejuſque auribus ſua cum ſuis verbis peccata, ad æternum ſilentium ſalubriter ſepeliri. Ita eſt; Confeſſionem ſartam tectam conſervat arctum illud, & multiplici jure, naturali, Divino, Eccleſiaſtico, ſic quaſi totidem firmatum nodis Sacramentale Confeſſionis Sigillum, quos adeò nodos ſi aut ſolvere, aut laxare inceperis, næ tu everſivum pœnitentiæ cuniculum planè perficis; imo potius, ut dixi, in certam ejus ruinam ſubterraneo pulveri de cuniculario incendiarius factus, ignem injicis.

Non

Non accuſo Trium-Viros, quaſi hunc etiam tam fatalem cuniculum fodiant, aut incendiarium fomitem accendant, & rotent: eſt tamen cur Gummarum ſaltem & Macarium examinem, abſolvere æquè ac damnare paratus: faciam id porrò ita ſincerè, ut ex ipſo fine cognoſcere liceat; quàm fidelis, & ab omni calumnia alienus longiori hoc capite flexus, & ambages cuniculoſque eorum omnes percurrerim.

§. I.

QUID HAC IN MATERIA Romana Inquiſitio nuper damnaverit.

QUò periculoſiora ſunt mala, hòc ſollicitiùs eorum primis obſtandum principiis; ut adeò Roma, uti Fidei Catholicæ univerſim, ita Sacramentorum præcipua vindex, primis hac in re Novaturientium conatibus reſiſtere tantò diligentiùs debuerit, quantò propiùs cum certa Sacramenti Pœnitentiæ ruina conjuncta eſt; & fecit id ſanè Roma perquam diligenter, nec ullam indulgens moram vix audire potuerat, moveri in Belgio cæpiſſe aliquid à Bajo-Janſeniana factione contra Sacramentale Sigillum, & jam in Belgjum Decretum expedierat.

Erud. D. Franc. vander Vliet S.T. Lovanii Licentiatus, Canonicus graduatus, & in Seminario Archiëpiſcopali Mechliniæ Profeſſor, & ne alicujus tituli obliviſcamur, jam à paucis

heb-

hebdomadis in novam illam, & ſtrictam ſcilicet Theologiæ Lovanienſis Facultatem adlectus (video enim & illum ſubſcripſiſſe articulis, quos, ut Lovanienſis doctrinæ articulos, Gummarus propoſuit) hic inquam Profeſſor hanc ibidem poſuit, & ſuſtinuit Theſim die 19. Febr. 1682. *oritur ex Confeſſione Sacramentali Sigillum, quo obligatur Confeſſarius ex juſtitia, & religione, quidquid peccati, & illi affine in confeſſione intellexit, ſilentio involvere*: nimis ea quidem, bone Profeſſor, tenuiter; hactenus indubitatum erat, non ex juſtitia modo, & religione, ſed ex jure naturali, divino & Eccleſiaſtico obligatum eſſe: ſed quid dicam? qui velit poſteà ſolvere nodum, prudentior eſt, quàm ut eum ante valde ſtringat; pergit autem infelix Theſiſta, quæ verba majuſculis literis imprimenda do, ſunt enim ſecundum apices omnes ea ipſa, quæ in Romano mox Decreto proſcripta legentur: SCIENTIA EX CONFESSIONE ACQUISITA UTI LICET, MODO FIAT SINE DIRECTA AUT INDIRECTA REVELATIONE, ET GRAVAMINE POENITENTIS, NISI ALIUD MULTO GRAVIUS EX NON USU SEQUATUR: IN CUJUS COMPARATIONE PRIUS MERITÒ CONTEMNATUR. Nec diſſimulandum eſt ejuſdem coloris pertinens: *Non eſt improbabile quod olim, in quibuſdam caſibus licuerit uti ſcientiâ ex Confeſſione acquiſitâ, in quibus modo non liceret.*

Dici vix poteſt, quantus ab una hac Theſi non Mechliniæ modo, ſed toto Belgio ſtrepitus auditus, indignabatur quiſquis Sacramento Pœnitentiæ benè pièque volebat;

ca-

calamum ſtringit R. D. Antonius Suivius; ore & manu pugnat D. Nicolaus du Bois, dum eam voce & *ſcripto*, in Cathedra, & libris doctrinam debellandam ſuſcepit, nec deſtitit, donec Romanus Senatus litem diremit, &, invideat licet D. Vander Vliet, dum ejus Theſim reprobat, & omninò proſcribit Romana Congregatio, cauſam Domino Du Bois feliciter adjudicat. Quid interim Gummarus? tacebat homo; an & Theſim probabat? neſcio; hoc ſcio, bene hoc tempore conveniebat Pontificio Collegio cum Seminario Archiëpiſcopali; cæterum, an, & quid ſuſpicionis ſecum adferat Gummarianum illud ſilentium, ſuo loco videbitur.

Interea non ſatis ſuſtinet Theſeos ſuæ invidiam, & bonorum omnium non otioſas indignationes & querelas: quid agat? Conſulit ſua Lovanii oracula, & puto Pontificia, non Romana illa, ſed Lovanienſia, & ita à Collegio Pontificio dicta: alteras edit Theſes, quæ & priorum ſint Apologeticæ, & earum duritiem temperent; & concluſione quidem ſecundâ ita invidioſæ de Sigillo poſitionis ſenſum limitant, ut eam tantùm velint intelligi de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis ſeclusâ quâcumque revelatione: ſed nihilo hæ Theſes alteræ primis feliciores, aliquantò etiam deteriorem fortunam nactæ ſunt; nam & illa explicatio Romanis diſplicuit, quod cum priori Theſi commune eſt, & ipſa prætereà hæc diſputatio altera autoritate Regiâ interrupta eſt & con-

tinuari prohibita: ex hoc, ut ſolent vetitæ merces, copioſius ſpargi, & diſtrahi exemplaria curarunt, ut, quo poſſent modo, infelicem interruptæ diſputationis ſucceſſum compenſarent. Nunc ipſam Cenſuram audiamus.

Feria 4. die 18. Novembris 1682.

In Congregatione Generali S. Romanæ Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. MARIÆ *ſuper Minervam coram Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana, contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

P*Ravia matura conſultatione DD. Conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis:* Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur: in cujus com-

comparatione prius meritò contemnatur : (*eſt hæc ipſa, ut vides, Theſis D. Vander Vliet diei 19. Februarii 1682.*) *addita deinde explicatione* (*in ſecundis nempe Theſibus 6. Iunii eodem anno Concluſione 2.*) *ſive limitatione; quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex Confeßione acquiſita cum gravamine pœnitentis ſecluſa quacumque revelatione; atque in caſu, quo multo gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur; & ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omninò prohibendam eſſe etiam cum dicta explicatione ſive limitatione; & præſenti Decreto prohibent, ne quis ultrà audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis: mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.*

FRANCISCUS RICCARDUS S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Not.

HÆc ſatis ſint de D. Vander Vliet & infauſta ejus Theſi, eâ potiſſimùm occaſione relata, ut intelligant omnes, quàm non impune,nec ſine Romana Cenſura in hac cuniculi parte laborare liceat: & primum quidem ligonem in ea Theſi fixerat Seminarii Archiëpiſcopalis Profeſſor, mox plures habiturus ſocios, & in eodem ſecum cuniculo foſſores, niſi primis bene conatibus Roma,& eodem ipſo anno reſtitiſſet; & providè; intelligebat enim Roma nec brevius poſſe, nec periculoſius, quàm hâc parte,Sacramentum Pœnitentiæ expugnari.

§. 2.

QVID DE HOC SIGILLO *ſentiat Macarius.*

EXaminandus hìc nobis venit R. D. Havermans, de quo id quidem certum eſt, non tam profundè eum ligonem agere, quam §. præcedenti Archiëpiſcopalis Profeſſor foderit; ſed neque id dubium eſt, otioſum eum prorſus non eſſe; & ſuſpectum meritò eſt, quod habet in *examine* pag. 279. *boni tamen Confeſſarii, quique amat ſalutem pænitentis, eſt aliquando inquirere extrà Confeſſionem de vitâ & moribus ſui pænitentis, idque ſine Sigilli fractione fieri poſſe, omninò indubitatum eſt; & ſecundum illam notitiam dirigere ſeſe poteſt in Confeſſione, prout ſcio à piis & doctis Confeſſariis*

riis practicari . . . . . ubi enim ex domeſticorum, vel aliorum fide dignorum teſtimonio ſciret Confeſſarius pœnitentem adhuc in eadem cecidiſſe vitia, credere non deberet pœnitenti contrarium aſſerenti: quid autem? curioſa illa & ſolicita in vitam & mores alienos apud Domeſticos inquiſitio, ab eo facta, qui Confeſſarius ejus eſſe, & praxim inquiſitionis hujuſmodi ſuis in libris operosè inculcare ſcitur; nihil putemus periculi continere, ne cujuſdam criminis ſuſpicio apud illos ipſos domeſticos ſuboriatur? nec ita hi ſecum cogitent: hæc à me de eo, & illa quæſivit, & Confeſſarius ejus eſt, de quo quærebat, nec ſolebat in hanc ſaltem, & illam materiam inquirere: & hæc dum cogitant, ut ſumus naturâ creduli, præſertim in malum, & temerariis facilè abripimur judiciis, non pronum erit ſiniſterius quidquam de ipſo pœnitente opinari? certè, utcumque *id ſine Sigilli fractione fieri poſſe omnino indubitatum* putet Macarius, rem ego dico non levi periculo obnoxiam, quàm enim facilè in inquiſitione illa Confeſſario non ſatis advertenti vox excidat aliqua, ferax deinde multarum ſuſpicionum materia; ut ut eſt, nemo quiſquam à revelatione plus diſtat, quàm qui omninò tacet, nec vulgaris prudentia eſt, ita examen illud ſuis aptè verbis temperare, ut nihilò plus domeſticorum ulli ſuſpicionis abiturus relinquat, quàm primùm adveniens invenerat.

Breviùs loquitur & planiùs, pag. 176. *certè antiqui Patres & Theologi non ita quoad Confeſſionis Sigillum ſcrupuloſi erant, ac nunc ſunt Caſuiſtæ.* Sanè dictum illud Macaria-

 num

num Archiëpiſcopale Seminarium redolet, nec multùm abludit ab eo pertinente D.Vander Vliet *non eſt improbabile, quod olim in quibuſdam caſibus licuerit uti ſcientiâ ex confeſſione acquiſitâ, in quibus modo non liceret.* Quod pertinens non eſt quidem cenſoriâ virgâ notatum, ſed tamen ad eam Theſim pertinet, quæ, cum ipſa omninò prohibita ſit, & proſcripta, non poteſt non aliquid labis iis adſpergere omnibus, quæ ad ſe pertinent. Quid ergo ait? *certè antiqui Patres & Theologi non ita quoad Confeſſionis Sigillum ſcrupuloſi erant, ac nunc ſunt Caſuiſtæ.* Quis porro id ait? is, qui præſentem, ut vidimus, Eccleſiæ praxim nauſeabundus faſtidit; is, qui modernam Eccleſiam in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ degeneraſſe ſcribit; is, qui unam antiquioris Eccleſiæ praxim ſuſpirat, eam laudabilem dicit, & ad primum priſtinumque vigorem revocari in Eccleſia hiſce temporibus, & reſtitui vult, is denique, qui, quidquid in fide & moribus labefactatum eſt, id omne recentioribus Theologis & Caſuiſtis acceptum refert, is nimium ſcrupuloſos Caſuiſtas dicit quoad Sigillum Confeſſionis; quid autem? nimium ſcrupuloſos? & hoc de Caſuiſtis? quos laxones paſſim vocat, quos laxiſſimis laxitatibus perdere omnia, & corrumpere, & laxo omnia definire ore, & laxis ampliare manibus credere nos vult. Mira profectò loquitur, non ſolent cum laxitate ſcrupuli componi. Jam verò quid nunc docent ſcrupuloſi iſti Caſuiſtæ quoad Sigillum, ut intelligamus quid hac in mate-

ria

ria Macarius vocet eſſe ſcrupuloſum. Docent *cavendum* OMNINO, *ne verbo aut ſigno*, *aut* ALIO QUOVIS MODO, ALIQUATENUS *prodat peccatorem.* Et hoc tu ſcrupulum vocas? ſcrupuloſus ergo eſt Canon Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. ſcrupuloſum eſt caput: *omnis utriuſque ſexus*, quod ex eo Canone deſumptum eſt, & ex quo hoc ſuum dogma deſcribunt Caſuiſtæ illi ſcrupuloſi. Docent *monendos eſſe fideles*, *quoniam nemo eſt*, *qui non vehementer cupiat*, *ſcelera & turpitudinem ſuam occultari*, *nihil eſſe*, *quod timeant*, *ne ea*, *quæ ipſi Confeſſione patefecerint*, *à Sacerdote ulli umquam indicentur*, *neve* ALIQUOD *ex ea* PERICULI (adeoque & gravaminis) GENUS *ſibi* ULLO TEMPORE *creari poſſit.* Et hoc tu ſcrupulum vocas? ſcrupuloſus ergo eſt Catechiſmus Romanus, ex cujus parte 2. cap. 5. hoc item ſuum dogma fideliter deſcripſerunt ſcrupuloſi iſti Caſuiſtæ. Docent denique contra Archiepiſcopalem Profeſſorem, non eſſe licitum uti ſcientiâ ex Confeſſione acquiſitâ cum gravamine pænitentis, & multò minus cum directa aut indirecta revelatione, etiam eo caſu, quo aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur: & hoc tu ſcrupulum voces? cave feceris; ne ipſam Sacram & univerſalem Romanam Inquiſitionem ſcrupuloſam facias: tu tamen tibi conſtas & confidenter loqueris; *certè antiqui Patres & Theologi non ita quoad Confeſſionis Sigillum* SCRUPULOSI *erant, ac nunc ſunt Caſuiſtæ.* Ignoſce, Macari, ſordidior es, quam initio putaram, & huic tam exitiali cuni-

culo

culo fodiendo cum Profeſſore Mechlinienſi operoſius inſtas, quam primâ fronte videbare: ſcrupuloſi nunc ſunt Caſuiſtæ quoad Sigillum, hoc eſt nimis in eo coarctando rigidi. Quid ita? nullo umquam caſu Confeſſionalis ſcientiæ uſum licitum eſſe mordicùs tenent; hic eſt eorum ſcrupulus, hic, ut cæteri quidem ſcrupuli, eximendus eſt. Vult ergo Macarius Caſuiſtas modernos paululum hac in re laxiores: ita eſt; amplioris erant pectoris antiqui Patres, & Theologi, nec ita quoad Confeſſionis Sigillum ſcrupuloſi, ac nunc ſunt Caſuiſtæ. Ita quidem Macarius; ſed cælo ſit ſuperiſque gratia, hoc noſtrum modernæ Eccleſiæ ævum non prorſus deſtituit bonus Deus; inventus eſt tot inter ſcrupuloſos Caſuiſta unus, qui ſcrupuloſus ipſe non eſſet, ſed cum antiquis Theologis & Patribus ampli vir pectoris Franciſcus Vander Vliet: ſed enim cum amplo ſuo ille pectore in Cenſuram Romanam turpiter incidit: & ego, Caſuiſta ſi eſſem, Macario ſcupuloſus malim, quam Inquiſitioni Romanæ nimium laxus videri.

§. 3.

EXAMINATVR GVMMARI de Sigillo Doctrina.

NOli metuere, Gummare, ab ineunte ætate civilibus cauſis aſſuetus, unam juſtitiæ, æquitatiſque rationem propoſitam mihi ſemper habui; examinatum te venio non con-

condemnatum, litem enim hanc tuam cum D. Marcelis tam implexam video,ut pleniùs eam Divino Supremi Judicis tribunali dirimendam relinquam; utrimque enim fides Sacerdotis, utrimque ſolennis proteſtatio, & oblatum juramentum ægrè ſine alterutrius obfirmato mendacio, & gravi perjurii periculo componi poſſunt; id autem de alterutro determinatè vel ſuſpicari tantum, religioni mihi duxero; imo neque illud velim inquirere, & invidioſum ſit definire, pro quo, & contra quem fortior ſtet veritatis, aut mendacii præſumptio, ubi cætera ſint paria, pro eone, qui liberè, nullâ præviâ gravi inimicitiâ accuſat, an pro illo, qui accuſatus, nec infamiam ſatis effugere, nec invidiam à ſe amovere poteſt; niſi objectum fortiter crimen, & conſtanter neget.

Multiplex porrò hac una in materia accuſatio eſt; & primo quidem *in fideli relatione*, quam Autor ad me meo inſcriptam nomini tranſmiſit, accuſatum te video pag. 35. quaſi docuiſſes *idem, quod habetur in Theſi Mechlinienſi; imò quod Confeſſarius ex ſola Confeſſione ſciens peccatum alicujus occultum carnis, non ſolum non poſſet dare ipſi teſtimonium ad Paſtoratum V. G. Begginaſii, ſed etiam deberet poſitivè impedire, ne ad dictum Paſtoratum promoveretur; ne mitteret Lupum inter Oves.* Idque convenienter fieri poſſe; *ſi Confeſſarius Epiſcopo ſcriberet, quod talis N. N. ad dictum Paſtoratum eſſet inidoneus, quod non deberet illum ad Paſtoratum promovere, Confeſſarius autem*

nomen ſuum non ſignaret &c. Horrenda vel te ipſo fatente, Gummare, in Compend. pag. 259. *procul dubio hæc eſt doctrina*, ſed enim *arcanam* etiam & *tremendam* fatebatur Janſenius ſuam de ignorantia invincibili *doctrinam* l. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 4. & intrepidè tamen eam docebat.

Multa hic ſunt, quæ ſuſpectum te faciunt, aliqua, quæ ſuſpicionem imminuunt; ſuſpectum facit 1. Teſtimonium Maximiliani Snel, non ſatis revocatum per ſubſequentem, eamque geminam ejus declarationem: ubi tantùm declarat ſe non aſſeruiſſe, quod ea eſſet doctrina D. Gummari, ſed ad ſummum, ſe id audiviſſe ex aliis: nec plus in ſua relatione D. Marcelis voluit; deindè hæc in ſecunda declaratione pugnant: *profiteor declarationem ...... omnem huic contrariam, ſi quam dederim, & ſubſignaverim, eſſe falſam, ſubreptitiam.* Si enim dederit ſi ſubſignaverit, quomodo ſubreptitia? falſa autem ſi ſit, ipſius falſa erit vitio, & ſe mendacii condemnat. Denique frivolum eſt, quod neget totum à ſe ſcriptum fuiſſe teſtimonium, ſed tantùm à ſignatum fateatur; quod enim ſignaſti, totum, ut tuum & à te ſcriptum, admittere in omni foro cenſeris.

2. Audierat ergo Maximilianus ab aliis; nam id numquam negat; undè autem tantus ille Lovanii rumor, qui nec urbis illius circumſcriptus mænibus in Hiſpaniam uſque pervenerit?

3. Mirum illud ſilentium, & tam univerſale Theologorum in ipſo Collegio Pontificio, dum de hac doctrina ab ipſo

ipſo D. Marcelis interrogarentur; dari enim ratio poteſt, cur tacerent omnes, nemo fateretur, eo præſertim in loco, ſi id docuit Gummarus; & aliqui ſaltem, ſi non omnes, negare illicò debuiſſent diſcipuli, ſi id Magiſter non docuerat.

4. Ipſum D. Gummarum ab eodem interrogatum non ſubſtitiſſe, nec tum fuiſſe proteſtatum, quod poſteà tam diſertè, & expreſsè fecit.

5. Quod plures alumnos Collegii Pontificii, & Gummari diſcipulos, in Collegio Hovii teſtatos coram ſe ſcripto fuiſſe, eam ipſam eſſe ſui Magiſtri ſententiam, *veriſſimum eſſe affirmet ipſe D. Marcelis, paratus juramento confirmare: item quod non dixerit hæc animo calumniandi, &c.*

6. Quod cùm auditi aliqui ex iis Theologis fuiſſent à Commiſſariis Facultatis, numquam dein licuerit D. Marcelis aut videre, aut audire quid eſſent teſtati, cum tamen, & eâ lege eorum nomina indicaſſet, ut eorum ſecum teſtimonia communicarentur, & id poſteà ſæpè ex condicto jure quodam ſuo exigeret; ſuſpectum etiam eſt, nihil de iis teſtimoniis peculiare nec niſi obiter in appendice ad Theſes 2. Martii hujus anni egiſſe, quæ ſi fuiſſent in Gummari favorem, profectò non tacerentur, ſed ad verbum, prout ea data eſſent, impreſſa legerentur.

7. Denique præter alia; quod idipſum, eodem tempore, de Magiſtro Diſcipuli aliqui Gummariani, non rogati, ſed ſponte retulerint D. Du Bois, idque ante edi-

tam ab eo Duplicam, quorum etiam nomina ad Illuſt. D. Internuncium ipſe ſcripſerit.

Suſpicionem porrò imminuit; 1. Longior illa in contrarium declaratio, cui quatuor è ſeptem, qui adfuerant D. Marcelis, ſubſcripsêre. Quâ porrò fide? malâ? non velim ſuſpicari: bonâ? vix auſim ſperare; maneat ergo dubia; præſertim cum dubium ſit, an iidem illi contraria in Collegio Hovii non ſignarint.

2. Solennis illa Gummari de ſe proteſtatio; primò in Theſibus, deinde in Compendio, ac denique iteranda in lecto mortis. Cui quidem proteſtationi tam in ſpeciem ſeriæ, tam publicè, tam ſæpè factæ negare prorſus fidem injurioſum ſit, & omne commercium humanum interturbet: ne fidem tamen planè adhibeam, facit ſolennis æquè in oppoſitum proteſtatio D. Marcelis, juramenti etiam oblatione magis firmata. Quamquam cur injurioſum etiam ſit omnem fidem proteſtationi Gummarianæ negare? eſt enimverò ipſe Methodi Autor, & lubet ex ea ad hominem argumentari: age Gummare, adeſt pœnitens, nullâ publicè infamis ſuſpicione, ſe accuſat ipſum, ſui in ſe actor & teſtis, dolorem voce teſtatur, & lacrymis; addit ſingultus, & gemitus; manu pectori admotâ piè proteſtatur. Quid ais Gummare? credo, an non? vide, & attende quid ſtatuas, legem, quam tuleris, patieris: reſpondet pro eo Methodus, *univerſa hæc* ad fidem *non faciunt ſatis*; at homo *ſincerus* eſt, *non vult decipere*: quod ſcripſit, ſcripſit:

ſcripſit : *Univerſa hæc non faciunt ſatis.* Age, Gummare, patere legem, quam ipſe tuleris, *quod enim quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debet uti eo.* L. 1. ff. *quod quiſque juris :* nam quo jure, aut quâ fronte proteſtationi tuæ fidem exigas, qui verba, lacrymas, ſingultus, proteſtationes, omnia in pœnitentibus ſuſpecta nobis eſſe vis? niſi fortè diſparem utriuſque conditionem hanc facias, quod illi in Sacramentò, tu extra illud proteſteris : hæc, ut dixi, ad hominem : nolo interim ego, quem Gummariana Methodus tam duræ fidei non fecit, nolo proteſtationi illi fidem omnem negare ; & in gratiam D. Gummari, inter Sacerdotalem utriuſque proteſtationem, in mera quæſtione facti, eam vim mihi faciam, ut quamquam ad alteram partem rationum momenta potius inclinent ; judicium tamen, donec magis res liqueat, omne ſuſpendam.

Jam verò hæc à te facta proteſtatio, alterius à te faciendæ me facit meminiſſe : accuſabaris, quaſi horrendam illam de Sigillo Sacramentali doctrinam tradidiſſes ; nec mora, reclamas, & editis publicè Theſibus toti Belgio profiteris, & ſanctè, & in fide Sacerdotis proteſtaris ; & bene ac providè facis ; niſi feciſſes, jam totius Belgii communi ſuffragio convictus cum doctrina tua damnareris ; nunc quia id facis, quiſquis innocentem te credit, eâ tuâ publicâ reclamatione potiſſimùm inductus id credit. At enim jam tot anni ſunt, quibus ſuſpectus nobis es factus de Janſeniſmo, nec ſemel accuſatus es, quaſi non modo negares

 quin-

quinque Janſenii Propoſitiones ,ut ex ejus libro excerptas, & in ſenſu ab autore intento ritè ab Apoſtolica Sede eſſe damnatas, ſed eas tu te ipsâ, nec obſcurè traderes; tu tamen taces, nec reclamas, quamvis ad id faciendum toties publicis ab Adverſariis Theſibus, & prævio eorum exemplo, fueris laceſcitus. Nunc etiam, dum aliqua ineundæ in Belgio concordiæ ſpes affulgere cæpit, hortantur Patres Societatis, & PP. Franciſcani, & inſtant, formulâ Alexandri VII. Pontificis Maximi, in Innocentii X. & ipſius Alexandri VII. Conſtitutiones Apoſtolicas religiosè jures; & primas in tam glorioſa tamque Catholica proteſtatione partes ambiunt, ut ſi præire nolueris, ſaltem imitari non detrectes; tu tamen non modo neutrum facis, ſed & nolle te facere profiteris; ſuperi! quæ eſt iſta tam hamata proteſtatio, quæ interioribus adeò tenaciter viſceribus hæret, ut nec tantâ vi foras extrahi, nec educi poſſit? crede mihi, Gummare, multùm ex hoc apud bonos omnes fama tua periclitatur, dum vident nihilò propè citius, aut facilius à te homine, ut hactenus credimus, Catholico, & Catholicæ Academiæ Doctore, & ipſius Pontificii Collegii Præſide, tam Catholicam & Pontificiam impetrari proteſtationem poſſe, quàm ab hæretico aliquo Miniſtello, qui Pontificium nomen impiè ejuravit. Proinde audi placidus amicè monentem, tibi & tuæ famæ quamprimum conſule, Conſtitutiones Apoſtolicas publicâ toti Belgio profeſſione factâ Catholicis ulnis ſeriò amplectere], Janſe-

nii

nii Propoſitiones, ut ex ejus libro excerptas, & in ſenſu ab eo intento, & prout illas damnat Apoſtolica Sedes, ſincero animo (ſic habet Alexandri formula) rejice, damna, ejura; niſi feceris, tibi, tuæque pervicaciæ imputa, ſi notorius & manifeſtus toto Belgio Janſeniſta habearis, & ut talis oculis, & digito noteris; ſi & ipſi Archiëpiſcopo dubiæ fidei eſſe incipias; ſi Illuſtriſſimo Internuncio ſuſpectus fias; ſi nec bene in Hiſpania, & malè Romæ audias: ſed ſpero meliora, & cum toto Belgio quamprimum eam à te proteſtationem Gummare expectabo; nunc interim ad alterum accuſationis caput.

§. 4.

CONTINUATUR IDEM Examen.

Dictatum eſt Lovanii publicè hoc ſubſequens notabile. *Tertio notandum: è contra fieri poteſt ut gravamen Pœnitenti imminens ex uſu ſcientiæ comparatum ad gravamen imminens aliquibus ex non uſu ſit admodum parvum, ita ut propterea videantur poſſe dari caſus, quibus non ſolum ſit* LICITUS *uſus iſte, ſed etiam* PRÆCEPTUS *&c.* *Licitum* tantum dixerat eum uſum D. Vander Vliet, & Romæ vapulavit illa ipſius ſententia; quid de eo fiet, qui altiùs aſſurgit & illum uſum *præceptum* etiam eſſe dicit: habemus hic

hic ſanè nobilem nec vulgarem hoc in anfractu cunicularium, & eum quidem Eximium; nam vel Eximium Van Vianen, vel Eximium Huyghens ea Dictata autorem habent; & parum ad rei ſummam intereſse videtur, uter dictaverit; cum enim alternatim ex eadem Cathedra ſæpè dictent, & perfectiſſimè conſentiens inter ſe utriuſque doctrina ſit, unus uterque moraliter Profeſſor meritò Lovanii habetur, &, ut ſcias quæ utriuſque ſententia ſit, alterutrius noviſſe ſatis eſt. Mea, inquit Gummarus, Dictata non ſunt: ſit ita ſanè, ſunt ergo Dictata Domini Van Vianen: nam alterutrius eſſe tu ipſe non negas. Nec myſterio caret, quod cum apertè in ſua disjunctiva utrumque nominatim expreſſiſſet fidelis Relator, & ita poſuiſſet: *Extractum ex Dictatis publicis Exim. D. Vianen, vel Huyghens*: ipſe in ſua appendice Concluſ. 2. ita reponat: *Ex Dictatis NN. vel Huyghens*, cur D. Vianen, ut adverſarius fecerat, apertè non nominas? cur Virum tantum ſub duabus obſcuris literis miſerè deliteſcere facis? ſalva res eſt, ſuam ſententiam erubeſcere incipiunt, proximum eſt, ut mutent. Tum ſe purgat & *toties*, inquit, *voce & ſcripto dixi non eſſe mea Dictata.* Sed infeliciter ſe purgat, nam quas à ſe ſordes abjicit, in D. N.N. ſeu Franciſcum Vianen, hoc eſt in alterum *ſe* conjicit, qui enim disjunctivæ, quam ut veram admittit, partem alteram negat, alteram affirmat.

Laborat ergo in hoc cuniculo D. Van Vianen & ejus rei teſtem irrefragabilem habemus D. Gummarum; multò

etiam

etiam plus operæ contulit, multò penetravit profundius, quàm D. Vander Vliet, hic *licitum* tantùm dixit ejuſmodi ſcientiæ uſum, ipſe *præceptum* etiam eſſe contendit.

Mirum autem, ſi non ad latus utrique ſocius adſtet, & cunicularium agat Gummarus; & miraculi nobis inſtar ſit, ſi in hoc uno puncto ab iis diſſentiat, qui in reliquis omnibus, tam ſententiis, quàm principiis, in unam cum iis & eandem doctrinam conſpirat: & certè non uno ex capite hic quoque ſuſpectus eſt; cur enim dum ſua negat eſſe ea Dictata, unde accuſationis verba deſcripta ſunt, non illud addit, ſe contrariæ eſſe opionis? quantò enim nitidius ſe purgaret, ſi non modo non dictaſſe ſe umquam, ſed nec illud animo ſentire dixiſſet; & hoc in puncto à principali ſuo ſe diſcrepare; at ſcilicet nec hic diſcrepabat, & caſu id potius quam ſtudio factum eſt, ut commune utrique dogma Vianen potius, quàm Huyghens dictaret. Imo nec illud diſſimulandum eſt; ſciebat à ſuo Principali ex Theologica Cathedra publicè definitum, non modo ſæpè licitum eſſe, ſcientiâ Confeſſionali uti cum gravamine pœnitentis, ſed ſæpè etiam eſſe præceptum; legerat Theſes Mechlinienſes, alteras *19.* Februarii defenſas, alteras *6.* Junii ſuſtinendas; & verò exceptæ dicuntur eæ in Pontificio Collegio cum plauſu: legerat ergo eas, & in iis propoſitionem, quam cum Romana legiſſet Inquiſitio, Decretum continuò edidit, quo omninò doceri eam prohibuit; cum ſciret & legeret omnia, ſi noxiam eam putabat doctrinam, ſi eam ipſe non tenebat, cur tacuit?

cuit? cur publicè non contradixit? at enim non tacui ſolus: fateor; ſed ſuſpecta magis in te taciturnitas, quàm in aliis: quid ita? quia hanc jam ab annis aliquot Provinciam ſuſcepiſſe videris, ut quaſi è ſpecula Belgii Cathedras circumſpiceres omnes, & ſi alicubi diſſonum aliquid, & à tuis principiis ac mente alienum dicatur, continuò quaſi univerſalis ex officio Cenſor impetum faceres, & novis illud, ac novis Theſibus impugnares; hinc tanta Theſium tuarum copia, ut, ſi, quæ unius anni ſpatio prodeunt, ſimul colligas, in juſtam molem integer liber tibi excreſcat.

Jam verò ſi non omnes publicum adverſus Archiëpiſcopalem Profeſſorem bellum ſuſcipiebant; at non tacebant privatim, nec diſſimulabant indignationem, quam ex iis Theſibus concepiſſent, publicum etiam denunciaturi bellum, niſi id jam ab aliis ſtrenuè agi vidiſſent; tu verò, ubi, aut quando ſignum dediſti aliquod; aut verbum dixiſti ullum, ex quo colligi licuiſſet, aut Principalis tui Dictata, aut Mechlinienſis Theſiſtæ concluſiones aliquo modo diſplicuiſſe? nec mirum profectò eſt non diſplicuiſſe, ſi illud verum eſt, quod ſe audiviſſe teſtatur D. Nicolaus Du Bois, in Duplica pag. 20. Seminarium ſua à Gummaro dictata accipere; ſuum enim cuique pulchrum, & ut Therſiten referat deformis fætus, ſua tamen patri proles non diſplicet. Nec defuit tibi, Gummare, ea occaſio, quæ ſi aliis æquè adfuiſſet, publicum ſui animi teſtimonium toti Belgio profectò dediſſent. Confeſſionem edis; de qua materia? de ipſo

Sigillo

Sigillo Sacramentali; & quando illam edis? 30. Julii 1682. hoc eſt, dum jam Theologica illa de Sigillo controverſia tot linguas fatigaret & calamos; dum jam omnium manibus tererentur Theſes Mechlinienſes; dum recens planè eſſet tui accuſatio, &, ſub disjunctione ſaltem, notabile illud tertium dictaſſe crederetis; & ubi illam edis? Lovanii, ubi quotidiani de ea controverſia ſermones, & tu denique illam edis; qui jam accuſatus in ſuſpicionem quandam incideras: quid? in his loci, temporis, & perſonæ circumſtantiis, ita Sigilli materiam tractare, ut ejus temporis quæſtionem, *utinè liceat Confeſſionali umquam ſcientiâ cum gravamine pœnitentis, necnè*, ne verbo quidem attingas uno; imo partem negantem non aſſeras? ut natam de te ſuſpicionem magis eradices? quid? non reprehendere Dictata D. Van Vianen? non Theſes Mechlinienſes de nimia laxitate accuſare? nihil hinc adverſum te prudenter confici poſſe putas? at parcebas fortè illis, quia alter Principalis, alter ejuſdem tecum erat factionis, non parciturus ſi ex Adverſariis aliquis ejuſmodi aliquid docuiſſet: atqui hoc eſt acceptorem agere perſonarum, nec doctrinam impugnare, ſed homines, nec ſincerum eſſe veritatis amatorem, qui & in ſymmyſtis falſitatem diſſimules, & in Adverſariis veritatem etiam impugnes.

Novam in hac ipſa materia litem intentat D. Du Bois, & viam aperire te contendit laxando Sigillo, dum publicas pœnitentias etiam pro occultis criminibus impoſitas

 fuiſſe

cum Gummaro & Macario habet commune; nec aliud hîc ex viri hac in parte modeſtia incommodi eſſe video, niſi forte, quod toto paſſim longiori hoc Capite demonſtrata tam perfecta Trium-Virorum concordia, hìc in fine unâ ſui parte deficiat; verum (ut hic repetam quod ſupra ſimili occaſione monere me memini) præterquam quod unius jacturam cum fænore liberaliter compenſavi, ubi D. D. Van Vianen & Vander Vliet ejus vices abundè ſupplere feci, & pro Trium-Viris Quatuor-Viros dedi; quid tum poſteà? dummodo ad Macarii, Gummarique cauſam prodeſſe nihil poſſit, & debeat obeſſe multum, ſubruendo Pœnitentiæ Sacramento aliquanto plus operæ utrumque contuliſſe, quàm apertè ſit auſus P. Ægidius in eo libro, qui ſemel Toleti, bis Romæ infeliciter damnatus eſt.

CAPITIS QUARTI.

ANACEPHALÆOSIS.

HIc terminus eſto, Lector, relegenda nunc via eſt, & retrogrado greſſu iidem prætereundi cuniculi, ſed brevior redeuntibus erit via, neque enim perſcrutandi curioſius flexus, & anfractus ſinguli, ſed levi tantùm, & tranſeunti oculo reſpectandi; & verò recentior eſt eorum memoria, quæ ſecundâ ſectione de eo cuniculo dicta ſunt, qui ingeminum obliquus anfractum, difficili Confeſſionum reïteratione, & laxando Sacramentali Sigillo ipſius Confeſſionis,

ut Sacramenti pars, & materia eſt, planè everſivus eſt: quare ea ferè ſolùm celeriori greſſu radenda, & ſub unum quaſi aſpectum revocanda erunt, quæ priori ſectione, primum cuniculum in plures flexus & anfractus diſtinguentia, certam Sacramentali formæ ruinam minabantur. Hæc ita breviter habe.

Peccatorem vitæ jam ſuæ tam ſordidæ, & peccatorum ſuorum, quibus aſſueverat turpis Conſuetudinarius, pertæſum, articulo primo pœnitentiali Trium-Virorum tribunali pœnitentem ſtitimus; ſed ille ſine abſolutione primo repulſus adventu dum pœnitentialia prius, & ſatisfactoria prævie opera ritè præſtaret; fuit illa ſcilicet laudabilis illa primitivæ Eccleſiæ praxis; & ad hujus regulam reformanda eſt modernæ Eccleſiæ in adminiſtrandis Sacramentis ratio, ut, quæ, refrigeſcente ſenſim Chriſtianorum Caritate, in ipſâ, invitâ & connivente tantùm Eccleſiâ, paulatim introducta eſt; ſed bene; fraudem deteximus, & ſub ſpecioſa illa antiquitatis larva heſternam novaturientis doctrinæ novitatem deliteſcere vidimus.

Rediit articulo 2. idem ille pœnitens à jejuniis pallidus, & ab aliis pœnitentialibus operibus debilis, nec debilitato magis corpore rediit, quàm animo contrito; confitetur, ſed hem novus in filo nodus intervenit, debili ut eſt corpore, & ut eſt contrito animo, negatur iterum abſolutio: quid ita? notabilis vitæ, & ipſo tempore firmata emendatio præeat neceſſe eſt; ita ſcilicet habet pœnitentialis Trium-Virorum canon.

Luctatur

Luctatur interim ſibi relictus miſer Conſuetudinarius, & ſecum ipſe interno & domeſtico prælio, & cum pravis ſuis conſuetudinibus Chriſtianè pugnat, &, quæ eſt pœnitentis animi vis & conſtantia, de ſe ipſo in ſe aliquoties piè triumphat; ergo lætus iterum ad Trium-Viros victoriæ ſuæ futurus nuncius, nunc denique abſolutionis beneficium, ſic quaſi triumphalem lauream relaturus; nam quem nunc ultra negandæ, aut differendæ abſolutioni titulum prætexant? ne dubita, invenient; audis? viciſti ſæpè, at non plena victoria eſt, vivit adhuc, necdum ad internecionem delectus, licet triumphatus jam ſæpius hoſtis, pravus in malum habitus; exuenda eſt prius, & ad radicem extirpanda ipſa conſuetudo, ut adeò Conſuetudinario, ut tali, nullo umquam caſu abſolutio danda ſit, niſi exigat id urgens & extrema neceſſitas, de qua tamen mox.

Adeſt nobis iterum articulo 3. ſed exutâ conſuetudine pellem mutavit æthiops, nec jam conſuetudinarius, ſed de promiſcuo peccatorum grege mitiores ſibi ſperat & exſpectat Trium-Viros: at illi duræ fidei non ante abſolvant, quàm debitam diſpoſitionem adeſſe non prudenter & probabiliter judicent, ſed certi de ea ſint moraliter; flet, gemit, ſingultit, piè proteſtatur pœnitens; at non moventur his omnibus, & ſuſpecta habent omnia; ſeque ut obfirment magis, dulciculis exemplis corroborant animum, & illud cogitant, quantam certitudinem exigeret Rex de fide[illegible] ſubditi, quem, aliquando ſibi rebellem & infidum expertus, arci præficeret

ficeret

ficeret, unde regni incolumitas penderet; quantam item exigerent ipſi certitudinem, ut homini ignoto, pœcuniæ indigo, & quem furatum aliquando ſcirent, pecuniam ſuam non numeratam depoſitam crederent, tum ad ſe ſuumque munus mentem reflectunt, & indignum putant, ſi minori cautione Jesu Christi Sanguinis diſpenſatores ſint, quàm ſuæ eſſent pecuniæ.

Fac tamen ea pœnitentem ſuæ diſpoſitionis ſigna dediſſe, quæ ad moralem certitudinem ſuffecerint, novum denuò colorem repererunt in dilationem abſolutionis ingenioſi pœnitentiæ, ſi ſuperis placet, Reformatores; cum morali illa certitudine de præſenti diſpoſitione conjungi non poteſt probabilis metus de relapſu, hic enim quamdiù aderit, quantumvis nunc contrito animo bene diſpoſitus ſit, abſolvendus extra mortis articulum non erit; & hæc de eo etiam intelligenda, qui ſemel tantùm in mortale peccatum lapſus eſt; & quando hic metus aberit, imò quando non aderit in hoc præſertim corruptæ naturæ miſero, & lubrico ad lapſum ſtatu?

Hactenus igitur promiſſa ſæpè, ſemper dilata, necdum data eſt pœnitenti abſolutio; reſtat articulus mortis, ubi, ſi non detur, non jam dilatæ Trium-Viros, ſed ſublatæ Sacramentalis formæ condemnabimus; at non audent eò adhuc aſſurgere, ergò, dum maturior paulatim res fiat, diſſimulant tantiſper, & dandam in hoc articulo dicunt; an dicturi ſint ſemper, id enim verò dubium eſt, ea enim

pro-

protrudunt & inculcant principia, ut demonſtrat Articulus quartus, quæſi ſemel perſuaſerint fidelium mentibus, eo etiam tam fatali imminentis mortis articulo, actum prorſus ſit de abſolutione, quæ ne pulſa fugataque ullo quieſcere loco permittatur, id etiam agunt ſubdolè, ut ne à ſolis venialibus pientiores animæ abſolvantur; atque ita non uno ictu perimunt, aut apertè hæreticorum more ſimul ac ſemel, formam Sacramentalem negant, ſed ex Vergeriano Gallici conventiculi monito, cautè, & ſenſim & ſine ſtrepitu per varios cuniculi anfractus continuatâ dilatione id agunt, ut penitùs denique tollatur.

Habes totius Capitis ſummam, & totam, ut eſt in Proverbio, in nuce iliadem non Græcam illam Homeri, quæ decennalis belli labores, & fatale Trojæ incendium referat, ſed Gallicam illam Vergerii, quæ delineatos jam ab annis facilè quadraginta cuniculos deſcribat, niſi obſiſtatur, in fatale Sacramento Pœnitentiæ incendium aliquando abituros.

CAPUT QUINTUM

CATHOLICUM.

NUnc tu mecum , Lector, ex ſubterraneis illis cavernis , & obſcuris Trium-Virorum viis in auream Fidei Catholicæ lucem regredere ; ſatis cuniculorum eſt , liberiorem tandem aërem hoc capite reſpiremus : Caput do Catholicúm , quod in ſuos diviſum Articulos per amæna Scripturæ , Sanctorumque Patrum , & Scholaſticorum vireta , piis eorum doctiſque ſententiis , ſic quaſi ſuis arboribus pulchre conſita , in Catholica Fidei noſtræ luce inoffenſo pede ambulare nos faciat ; & quia fatigatum te habeo ex longiori illo per cuniculos dicurſu , breviori , quâ potero , viâ te deducens, quæ ipſo pede non emetiemur loca, digito ſaltem eminus notabo.

ARTICULUS I.

Scripturiſticus.

§. 1.

Quibus S. Scripturæ locis abutantur Trium-Viri.

PArvo limite inter ſe hæc duo diſtant , uti Scriptura , & abuti , hæc enim cum plana ſit & recta , ſi vel tantillum ad

ad tui cerebri ſomnia inflexeris, aut contorſeris, ecce non Catholicè eâ uteris, ſed hæreticorum more impiè abuteris: Et veniunt nobis Trium-Viri ſacris onuſti codicibus, ut ſacrum ſuis mercibus pretium, ſi poſſint, à ſacris Literis concilient; ſed nihil agunt miſeri, & fruſtra jam ſæpè ab eorum abuſu vindicata loca objicere pergunt; & nuſquam quidem manifeſtius patet, quàm parum ex Scriptura præſidii habeant, quàm apud Gummarum in Methodo pag. 53. ubi hunc titulum præfigit: *loca Scripturæ ſacræ, quæ docent veram converſionem tantâ non acquiri celeritate & facilitate quantâ hodiè vulgò creditur*, nam ejus de differenda longius abſolutione ſententiæ præcipua baſis eſt, oſtendere, non eſſe ſubitas hominum converſiones; huc loca, quæ poteſt, congerit omnia, & primo quidem altiori voce intonat illud Ezechiël. 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vitâ vivet, & non morietur.* Tum illud Deuteron. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris & tota tribulatione animæ tuæ.* Habes hic, Lector, quæ quidem ex veteri Teſtamento adfert, omnia; hui! quam pauper eſt, qui ex tàm immenſo theſauro non niſi duo verè minuta ſua facit: at plura adferre potuit: ſit ita; certè præcipua attulit, & ſi hæc præcipua, reliqua profectò ita levia ſint neceſſe eſt, ut ſua tenuitate ſponte evaneſcant.

Nec ditiorem eum facit Teſtamentum novum; ſub unum aſpectum do omnia *quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, *&c.* 2. Cor. 7. *Facite fructum dignum* pœnitentiæ. Matth. 3. *Si quis venit ad me & non odit Patrem*, *&c.* Lucæ 14. Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me*, *non eſt me dignus*, *&c.* Tum geminam adfert ſimilitudinem de qua Luc. 14. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare* &c. & *quis Rex iturus committere bellum* &c. & multum diuque in Chriſti concluſione hæret; *ſic ergo omnis ex vobis*, *qui non renuntiat omnibus*, *quæ poſſidet*, *non poteſt meus eſſe diſcipulus*: hæc ſic collectim in uno §. Gummarus, hæc in ſuis ſparſim libris Gabriëlis, & Macarius: quid autem ex his concludant miſeri dialectici? certè quidlibet potius, quam id, quod exſculpere volunt; ut de ſingulis nitidè probat & ſolidè in ſolida ſua praxi P. A Burgundia à n. 127. & cujus recentior memoria eſt, Nicolaus du Bois in Theſi ſua 2. à pag. 15. & eſt quidem hæc propria ipſius meſſis, ut qui Primarius Scripturæ Lovanii Profeſſor, ex officio etiam ſacros Textus à Novaturientium corruptione vendicare debet.

§. 2.

QUÆ S. SCRIPTURÆ LOCA faciant pro communi ſententia.

FRuſtra ex Scriptura rigorem quis ſugere velit, ubi omnia miſericordiam Dei ſonant; ubi miſerationes ejus

ſuper

ſuper omnia opera deprædicantur, ubi centum in locis vocare peccatores, allicere, exſpectare legitur, paratus in amplexum: imo eo ſe dimittere, & abjicere hortando, precando, imo quaſi ſupplicando, ut Majeſtati Divinæ tali ac tantæ derogare propemodum videatur. Hujus rei tot teſtes habeo, quot Prophetas invenio, quos omnes ſuæ miſericordiæ voluit eſſe præcones; nam quod irato per eos ore ignem ſæpè & flammas loquatur, & ille Divinæ Clementiæ effectus eſt; minatur pœnas, ne infligere debeat; iraſcitur, ut poſſit amplecti; &, ut miſericordiæ viſcera exhibeat, flagellum juſtitiæ oſtentat, ut pœnæ timore ad pœnitentiam cogat, quos allicere miſericordiâ ſatis non poterat.

Vin' ſpecimina aliqua? ipſo illo 18. capite Ezechiëlis, quo contra nos pugnat Gummarus, ita habemus: *& quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite*; quid ſuavius? Iſaiæ 49. *numquid oblivîſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te.* Singularis quoque locus eſt Iſa. 30. *exſpectat Dominus ut miſereatur veſtri ..... plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui* STATIM UT AUDIERIT (nota Gummare diligenter illud *ſtatim*, otioſum non eſt) STATIM UT AUDIERIT, *reſpondebit tibi*: & verò, STATIM *ut audiit* pœnitentiſſimum illud Davidis *peccavi*, reſpondit illi per Prophetam tranſtuliſſe ſe peccatum ejus. Hæc & his

his multo plura, ſi dixit, ſi fecit in lege timoris, quid in amoris & gratiæ lege non ſperabimus? & verò tota Chriſti hominis vita continuum eſt miſericordiæ exemplum, & tota ejus doctrina, continua communis ſententiæ confirmatio. Flet ad Chriſti pedes pœnitens Maria, peccatrix illa conſuetudinaria, nec tam verbis, quam lacrymis confitetur; quid autem Chriſtus? ſuſpectas, credo, habet lacrymas, remittit pœnitentialia ſatisfactoria opera præviè adimpleturam, differt abſolutionem, dum inveteratam illam conſuetudinem penitus exuerit; imo verò (adeſte Trium-Viri, & ſi Chriſti eſtis Miniſtri, Chriſti exemplum imitari non pigeat) indignantibus in menſa Phariſæis, benigno vultu, non rigido illo & Vergeriano ſupercilio flentem intuita, *remittuntur*, inquit, *tibi peccata ...... vade in pace. Publicanus à longe ſtans percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori*; dixit; nulla mora eſt, *dico vobis*, inquit Chriſtus, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* Ubi autem veſtra Trium-Viri notabili tempore prævia vitæ in melius mutatio? Confitetur Chriſto Zachæus; necdum ablata reſtituit; eo ipſo die, quo confitetur, converti cæpit; quid Chriſtus? HODIE *ſalus*; felix Zachæus, qui in Chriſtum potius, quam in Trium-Viros incidit; nam ſi incidiſſet in eos, non audiviſſet illud *Hodie*, imo nec *cras*, ſed *poſt menſes*, *poſt annos*: exemplum recens de *duobus annis* etiam in piis animabus hìc Bruxellis habemus. Filius prodigus in ſe reverſus, ſurgam,

inquit,

inquit, & dicam: *Pater peccavi in cælum*, en propoſitum Confeſſionis, quam non differt, ſed in ipſo momento *ſurgens venit ad Patrem* ... dixitque: *Pater peccavi in cælum & coram te, jam non ſum dignus vocari Filius tuus*, ecce autem, rumpantur licet Trium-Viri, amplexus & oſculatus Filium CITO, inquit, cito *proferte ſtolam primam*, &c. non habetur, inquit, in noſtra Scriptura particula illa *cito*; rectè dicunt, in eorum Scriptura non habetur, nam eorum Scriptura eſt Gallica iſta, quam quintus Evangeliſta, neſcio quis (aliqui Arnaldum putant) certè ſtrenuus Bajo-Janſeniſta conſcripſit; cur autem eam vocem expunxerit, clarius eſt quam ut dicatur; cæterum habetur illa in vulgata, & authentica, & legerunt eam, & annotarunt Hieronymus, Gregorius, & Chryſologus.

Nihil addo de ove, & drachma perditis, nihil de converſione Petri ter perjuri, nihil de latrone, qui uno eodemque die ex latrone factus eſt pœnitens, ex pœnitente beatus. Poteris, Lector, hæc omnia, ubi otium erit, latius deducta videre in Theſi 1. Theol. D. Du Bois adverſus Methodum D. Gummari; ego hunc articulum Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ verbis piè contra Trium-Viros concludo, *pœnitentiam age* (ita per Evangeliſtam loquitur Apocal. 3. Deus) *ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cænabo cum illo, & ipſe mecum*, qui ſtat, qui pulſat, ut aperiatur janua, is, ſi aperiatur janua, non intrabit? ſi non ſatis clarus

clarus vobis hic eſt locus, Trium-Viri, adite Gloſſam, legi meretur; ſed audite, Gloſſam ordinariam intelligo, non Vergerianam aut Arnaldicam, quamquam illa veſtra ordinaria eſt.

ARTICULUS II.

Eccleſiaſticus.

De veteri primitivæ Eccleſiæ praxi.

ORta eſt aliqua Trium-Viros inter, & me controverſia ſuperiori Capite ſect. 1. art. 1. §. 1. de veteri primitivæ Eccleſiæ praxi, & dirimendam eam hoc Capite ibi pag. 113. promiſi; fidem præſto, id nunc agemus. Controverſiæ ſtatus hic eſt; *Satisfactioria & pænitentialia opera in primitiva Eccleſia per duodecim & tredecim ſæcula abſolutionem præceſſerint, nec ne.* Ego nego, ajunt illi; Et vetus quidem hæc lis eſt, & multis diſputata libris, ego viam inveni, quâ breviſſimè tota res conficiatur, dummodò Eruditiſſimus P. Gabriëlis & R. D. Havermans communem cauſam Eximio Viro mecum diſceptandam relinquant, honeſta poſtulatio eſt. Age ergo Gummare, cauſam illam finiamus, & primo de Judice, quo ſtemus, & arbitro ſtatuamus; & ne hic primo in limine tempus inutiliter teramus; ea eſt cauſæ meæ bonitas, ut contra omnem forenſem uſum, quem tu pro te teſtem citas, in

eâ ipſa cauſa, in qua pro te teſtari debeat, arbitrum & judicem non recuſem: quid poſſum aut ampliùs dare, aut liberalius? quo tu ergo teſte in judicium venis? *Teſte*, inquis ſub finem Præfationis Apologeticæ ad Tractatum 3. *Morino*: optimè, cum ipſum in hac cauſa ſtatuo Judicem; ſententiam inter nos proferat, audiamus cui litem adjudicet; & Primò, quidem l. 5. cap. 31. n. 2. *Peccàta mortalia minus gravia eodem planè modo curabat* (*antiquitus Eccleſia* ut habet titulus Capitis) *quo nunc univerſa ferè mortalia curare ſolet ..... denique ut compendio dicam peccatorum hoc genus, quantum diligenter legendo & inquirendo conſequi potui, eodem planè modo ab Eccleſia curatum & punitum eſt, quo ab annis* 400. *ad hunc uſque diem omnia fere mortalia peccata legimus ex Doctorum Scholaſticorum præceptis, & Eccleſiæ approbata praxi curata fuiſſe*; (notare id etiam obiter poſſunt Macarius & Gabriëlis praxim modernam *approbatam* dici à Morino, quàm illi invitâ Eccleſiâ dicunt eſſe *intruſam*) Secundò; l. 9. cap. 1. n. 13. *Nos poſt ..... diligentem hujus rei conſiderationem, & innumerorum antiquitatis teſtimoniorum, & exemplorum, variis ſæculis editorum inter ſe collationem ..... deprehendimus, pleriſque peccatorum gravium, mortemque æternam inferentium generibus, abſolutionem eo more, qui nunc, & ab aliquot ſæculis obſervatur, ab ipſis Eccleſiæ incunabilis conceſſam eſſe: in iis vero, quibus abſolutio poſt actam pœnitentiam lege ordinaria differebatur, multis variiſque modis exceptum fuiſſe.*

Tertiò, eodem lib. c.14. n.8. *crimina omnia, & peccata, quæ illis ſæculis non expiabantur per pœnitentiam publicam, ſtatim, aut paulo poſt editam Sacerdoti Confeſſionem, remittebantur,* PAUCULIS EXCEPTIS, *quæ cum* PUBLICA *erant, communionis Euchariſticæ privatione nonnumquam à canonibus caſtigabantur ..... cum autem crimina illa & peccata frequentiſſima fuerint;* IDEO IN CONFESSIONIBUS MULTO FREQUENTIUS CONJUNGEBATUR ABSOLUTIO CONFESSIONI, QUAM AB EA SEJUNGEBATUR. Et ibid. n.9. *in Orientalibus Eccleſiis ab annis mille ducentis Abſolutio à peccatis* STATIM *poſt pœnitentiæ impoſitionem, aut etiam peccatorum Confeſſionem dari conſuevit.* Hem Gummare quid de Morino videtur? an non melior mihi Judex eſt, quam tibi teſtis? vinceris ergo, tanto turpius, quod tui ipſius teſtis teſtimonio, & ſententia vincaris; profectò, ſi in clamoſo & judiciali foro lis dijudicaretur, ad univerſos ſumptus mulctarere: quod ſi ad Superioris Judicis Tribunal, ut fit, appellare volueris, per me licet, appellemus à Morino ad Rom. Catechiſmum, tanto certè ego glorioſius vincam, nunc eum audiamus cap. 5. n. 87. ANTIQUISSIMO ECCLESIÆ usu *receptum eſt, ut cum pœnitentes à peccatis ſolvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ ſolutio ſatisfactio vocari conſuevit.*

AR-

ARTICVLVS III.

Patricius.

§. 1.

Sancti Patres & à communi ſententia, & contra Trium-Viros ſtant.

NOn hìc ego, aut chartâ aut lectorum oculis abutar in refellendis quibuſdam SS. PP. laciniis, quas ſuo malè avulſas loco, & ad ſuam contortè phantaſiam tornatas, ex Bajo-Janſeniana Patrum Bibliotheca, hoc eſt libro de frequenti Communione, Trium-Viri objiciunt; egerunt id luculenter alii, & recenter in prima ſua Theologica Theſi ſingulas refellit D. Du Bois à pag. 25. ubi, inter alia, S. Auguſtini Textum fœdiſſimè ab eis truncatum exhibet; nec curſim, ſed operosè id etiam agit Praxis Solida à n. 131. & accuratè in primis n. 145. id oſtendit integro §. quàm infideliter his Bernardi verbis: *Non tam exempla quàm miracula eſſe*, & quam ſæpè abutantur; hos adeat Lector curioſus; ego actum non agam.

Veniat nobis interea Sacra longo ordine Patrum ſeries & ii quidem ante alios, quos nobis præ aliis ipſi objiciunt, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus. Et verò Cyprianus lentam illam & tardam non adſtruit converſionem: *nec quantitas criminis* (inquit cap. 7. de Cœna Domini) *nec* BRE-

VITAS TEMPORIS .... *excludit à venia*: nec erat de ſevero illo & rigido Confeſſariorum genere, audi quid de ſe teſtetur epiſt. 55. *remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis*, ETIAM QUÆ IN DEUM COMMISSA *ſunt*; *non pleno judicio religionis examino*: DELICTIS PLUSQUAM OPORTET REMITTENDIS PŒNE IPSE DELINQUO, *amplector* PROMPTA *& plena dilectione cum pænitentia revertentes*. Non angit hic ſcrupulus Trium-Viros. Ambroſius vero tantum à duritie illa, & Vergeriano rigore abfuit, ut etiam, teſte Baronio Tom. 4. ad annum 375. gravem facilitatis nimiæ & benignitatis invidiam paſſus ſit, quod omnibus pœnitentibus fores Eccleſiæ patere juberet, *& facilis eſſet ad indulgentiam*: ut adeo tanto ab Ambroſio longius recedere Trium-Viri ſciantur, quanto ab ejuſmodi invidiæ genere intelliguntur hactenus eſſe remotiores. Auguſtinus denique ita noſter eſt, ut nec in ſpeciem ſuum facere potuerint, niſi, ut jamjam dicebam locum ejus turpiter truncarent; breve eſt quod habet ſermone 85. de tempore: ſi quis *Templum Dei in ſe violando deſtruxerit de Dei miſericordia non deſperet, ſed* CITO *de malo iniquitatis ſuæ conſurgat*. Malè herclè vereor particulæ iſti *citò*, ſi quintus ille Evangeliſta Gallicus, de quo ſupra, hunc Auguſtini ſermonem umquam Gallicè vertat. Tractatu autem de rectitudine Cathol. Converſat: *Dominus*, inquit, *ſignum ſuæ pietatis aſſiduè patefacit, & omnes vult ad ſe recipere per pænitentiam .... Publicanum de Evangelio, & latronem, nec non & meretricem, ſed & Paulum ſumite*

in

in exemplum: ſalleris Auguſtine? miracula illa ſunt, non exempla. Ita ex Vergeriana tripode definiverunt Trium-Viri. Tract. 49. in Joan. ita de Lazaro: *proceſſit mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus: ut ſolverentur peccata ejus, miniſtris hoc dixit Dominus, ſolvite illum, & ſinite abire* (notate Trium-Viri; primo *ſolvere*, dein *ſinere abire*) *quid eſt ſolvite illum & ſinite abire? quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt & in cælo*; & in loco ab Adverſariis truncató ſerm. 58. de tempore: *Si ſemel aliquis vel ſecundo peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pænitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem* SINE ALIQUA MORA .... *recipiet* ...... *nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia Divina deſperet. Sic tamen non deſperet, ut* SINE ULLA MORA *Deum ſibi repropitiari* FESTINET. At fruſtra apud Trium-Viros *ſine ulla mora feſtinet*, qui lenti in repropitiando cunctatores, *feſtinanti ſine ulla mora* moras ipſi injicient: ſed & grande illud, & durum Confeſſionis onus agnovit nobiſcum magnus Doctor, & laborat, inquit, citatus in Can. 88. *Mens, patiendo erubeſcentiam: & quoniam verecundia magna eſt* POENA, *qui erubeſcit pro Chriſto fit dignus venia.* Jam, ut alia quam plurima, quæ ad manum habeo miſſa faciam, vultis videre, quàm non requirat menſes & annos Auguſtinus ad veram Converſionem? Audiatur in Pſalm. 63. *Numquid conſilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? nonne,* SI VIS, HODIE *fit? nonne*

SI VIS MODO *fit? .... ecce cum loquor, muta cor, & factum eſt.*

Accedunt turmatim PP. alii, & unus Chryſoſtomus ita expreſsè, ita ſæpè inculcat, ut ex eo uno totus Trium-Viratus cum fundamentis ſuis omnibus ſubruatur, & corruat: ſummis labris delibemus aliqua; Hom. de B. Philogonio: *neque mihi quiſquam dixerit, vereor: habeo conſcientiam peccatis oppletam ...... nec illud perpende, quod* BREVE TEMPUS *eſt, ſed illud conſidera, quod benignus eſt Dominus, ...* HÆC NON EGENT MULTIS DIEBUS, ANNISVE, *ſed* SOLO ANIMI PROPOSITO, *&* UNICO DIE *perficiuntur: diſcede amabo, virtutem amplectere.* Quot verba, tot profectò in Trium-Virorum capita fatales ictus; nec minorem Gummaro præſertim plagam infligit, quod habet hom. 77. de pœnit. *ſicut eſt in aqua baptizari facilè*, SIC EST FACILE ANIMAM PÆNITERE: quæ verba benè ruminat & Gummarianis verbis nitidè opponit P. A Burgundia in praxi ſua pag. 110. hunc adi, & eadem opera Bernardum ibi lege pag. 109. Ego temperare mihi non poſſum, quin Chryſoſtomum amplectar, & iterum atque iterum ſententiæ noſtræ ſubſcribere faciam: ecce quid dicat Epiſt. 5. ad Theod. lapſum: *etiamſi non omnem præ ſe fert pœnitentiam*, BREVEM ILLAM, SEU EXIGUO TEMPORE FACTAM, *non abnuit* POENITENTIAM. Et eâdem rursùm Epiſt. QUACUMQUE *quis horâ ſe dejiciens vel* UNUM *dixerit verbum* (puta peccavi Domino) IN EO MOMENTO *totius vitæ peccata ſimul abſterſit*; ſcilicet ut ait homil. 27. in cap. 9. Geneſ.

Geneſ. *Dominum habemus miſericordem & benignum, &* NON INDIGET TEMPORE. Non hæc ſanè leviter ſtringunt, ſed ab imis fundamentis baſem illam Vergerianæ doctrinæ convellunt, quâ omnem ſuſpectam faciunt converſionem, quæ non longo menſium & annorum ſpatio paulatim fit, & miraculis adnumerant, ſi repente quis, ſi ſubito, ſi brevi tempore à peccatis ad Deum convertatur. Baſis altera eſt; nec eam eſſe converſionem veram, quæ inconſtantior relapſum non cavet; ſed & hæc Patricio ariete ſubvertitur. Incipiamus ab Auguſtino Epiſt. ad Maced. *Quotidiè peccantibus*, inquit, *numquam per pœnitentiam venia denegatur.* Si *peccantibus quotidiè*, certè relabentibus. S. Baſilius citatus ab Autore Viæ mediæ pag. 297. *Non ſumus*, inquit, *Angeli, ſed homines, qui & cadimus & reſurgimus, idque* SÆPENUMERO EADEM HORA. S. Gregorius Homil. 30. in Evang. ita loquitur: *In quorumdam corda venit, & manſionem non facit; quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt, ſed tentationis tempore hoc ipſum, quo compuncti fuerant, obliviſcuntur: ſicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc minimè planxiſſent.* Chryſoſtomus porrò ita in hac baſi convellenda vehemens fuit, ut in conciliabulo quodam publicè hoc nomine ab inimicis accuſatus fuerit; accuſationis hæc erat ſumma: *Quod nimium relaxaret, & peccandi nimiam daret libertatem, ſæpè dicens: ſi pecces iterum, iterum de peccato pœnitentiam age: & quoties peccaveris ad me recurre, & remedium applicabo tibi.* Vide Petav. & Bar. ſuprà, ut adeò glo-

glorioſa debeat eſſe nec pudenda accuſatio, quam hodierni melioris notæ Confeſſarii cum S. Chryſoſtomo & S. Ambroſio ſuprà habent & patiuntur communem.

Audiri hic etiam meretur Anſelmus ſuper Epiſt. ad Heb. cap. 4. in illud: Non habemus Pontificem &c. *Vobis lapſis non eſt deſperandum, nec Confeſſio dimittenda; quia non habemus Pontificem auſterum*, vel dedignantem, ſed miſericordem: miſericordiæ magnitudinem explicat Hugo à S. Victore l. 2. de Anima cap. 3. Et *tardius*, inquit, *videtur Deo peccatori veniam dari, quam ipſi peccatori accipere*; nec oblivisci hic poſſum Hieronymi, & ſuaviora ejus ſunt verba ſuprà relata, quam ut hic taceantur. *Sed dicis, non ex toto corde convertitur, mentitur. Nos dimittamus Deo judicium: rogat me, deprecatur: non dicit hoc verè; Deus novit:* EGO VOCEM AUDIO, *Chriſtus cor intelligit, ego ſuſcipio quod audio, ſuſcipiat Chriſtus, quod novit.*

Auream hanc SS. Patrum catenam, quâ nempe arcte conſtricti in Triumphum ducantur victi & proſtrati Trium-Viri, aurea Romani Catechiſmi concludat ſententia: *Non deſperent fideles de ſumma Dei bonitate & clementia: is enim cum noſtræ ſalutis ſit cupidiſſimus*, NULLAM MORAM *ad tribuendam nobis veniam interponit; ſed peccatorem* PATERNA *caritate complectitur*, SIMULATQUE ILLE SE COLLEGERIT, *& univerſa peccata ſua deteſtatus ad Dominum ſe convertit.* part. 2. cap. 5.

ARTICULUS IV.

Scholaſticus.

SS. Thomas *&* Bonaventura *Scholarum Principes &* *à communi Sententia, & contra Trium-Viros ſtant.*

PAtres dedimus, nunc fideles Patrum interpretes & Scholarum Principes accipe, quorum poſt Patres prima eſt, & veneranda in ſcholis autoritas; & meritò; nam præter alia laudum titulorumque decora, à Summis uterque Pontificibus, alter à Pio V. alter à Sixto itidem V. ad numerum quatuor Eccleſiæ Doctorum glorioſè adjecti ſunt, illuſtre ſanè & perpetuum cæleſtis eorum doctrinæ teſtimonium. Non erit ergo imbelle nec contemnendum præſidium, quod ab eorum ita canonizata Theologia ſententiæ noſtræ accedet.

Incipiamus ab iis D. Thomæ verbis tam pro noſtra ſententia manifeſtis, ut ſuccumbat Macarius, nec niſi turpiter, & cum aliqua magni Doctoris injuria, ut ſuprà vidimus, elabatur. Nihil eſt, in quo impotentius ſe jactent novi Magiſtri, quam ubi id agunt, pœnitentiam veram non eſſe, eſſe fictitiam, quam in idem peccatum relapſus conſequatur; huc rationes, huc SS. Patrum oracula detorquent, & omni id ſtudio inculcant: nec mirum; nam cum hoc

uno magna eorum dogmatum pars ita connexa eſt, ut merito illud ſuperiori articulo alteram Vergerianæ doctrinæ baſim nominarim. Hanc ibi Patres, hîc D. Thomas, hîc S. Bonaventura deſtruent; & ille quidem 3. p. q. 84. a. 10. ad quartum Adverſariorum argumentum ex iis SS. Patrum fragmentis conſutum, quæ importunè opportunè nobis Trium-Viri identidem objectant, ita reſpondet: *Dicendum, quod pœnitere eſt ante acta flere, & flenda non committere, ſimul dum flet, vel actu, vel propoſito: ille enim eſt irriſor, & non pœnitens, qui ſimul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum ſe facturum, quod geſſit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis poſtea peccat vel actu, vel propoſito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium ſubſequentem. Sicut enim verè cucurrit, qui poſtea ſedet, ita verè pœnituit, qui poſtea peccat.* Belliſſimè, nam ſi à nobis hoc tempore conductus aut inductus eſſet Angelicus Doctor, aptius ad rem noſtram loqui non poſſet: quid vos autem ad hæc Trium-Viri? reſpondet in communi cauſa unus Macarius pag. 228. *Hæc explicatio SS. Patrum* (& D. Thomæ) *valdè eſt contorta.* Imo tu ita his verbis contortus es, ut extorquere te non poſſis: ſed ſupra ob tam temerarium reſponſum à me vapulaſti, nec æquum eſt idem crimen bis luere. Audiamus Bonaventuram in 4. diſt. 14. part. 1. dub. 4. eundem nodum iiſdem propè verbis ſolventem: *Poteſt*, inquit,

re-

referri ad idem tempus vel ad aliud. Si ad idem tempus, tunc non ſtat pro actu non committendi, ſed pro affectione, ut ſcilicet quando pœnitemus, velimus iterum non committere, vel non velimus; ſicut illi, qui de uno peccato pœnitent, & de alio non pœnitent : ET ITA NON EXCLUDIT CASUM SEQUENTEM, SED MALAM VOLUNTATEM PRÆSENTEM; *ſi autem referatur ad futurum*, &c. Similia habet ibid. part. 2. dub. 2. & art. 1. q. 1. diſtinctè explicat, quo ſenſu *vera* ſit pœnitentia etiam illa, quæ in idem relabitur; verum longior eſt ſententia, & quid attinet exſcribere, qui non aliud reſponſum expectare debeam, quam illud Macarianum, *contorta eſt hæc explicatio.* Fidelior ſcilicet Macarius interpres eſt, imo ſi hunc interpretem audire lubeat, mira profectò loquentur & docebunt Patres.

Duræ fidei ſunt & tardi ad credendum Trium-Viri, nec verbis ſatis pœnitentis fidunt aut lacrymis, & niſi moralem certitudinem de diſpoſitione habeant, non abſolvent: & hic multorum dogmatum Vergerianus fons eſt; at non ex Angelicæ aut Seraphicæ doctrinæ ſcatebris profluit. *Non tenemur ad Euchariſtiam accedere cum caritate ſecundum veritatem, ſed ſufficit ſecundum* PROBABILITATEM : *ſic dico, quod ad Sacramentum pœnitentiæ non eſt neceſſe, quod accedat habens caritatem* (& diſpoſitionem) *ſufficientem ſecundum veritatem, ſed ſufficit ſecundum* PROBABILITATEM; ita non ex Caſuiſtarum turba laxo aut probabiliſta aliquis, ſed Seraphicus Doctor diſt. 17. p. 2. a. 1. q. 4. Angelicus autem nihilò Trium-

Viris æquior, *Rector Eccleſiæ*, inquit in ſuppl. q. 8. a. 5. ad. 2. *debet vultum pecoris ſui agnoſcere dupliciter; uno modo per ſollicitam exterioris converſionis conſiderationem..... & in hac cognitione non oportet, quod credat ſubdito, ſed certitudinem facti, in quantum poteſt, inquirat; alio modo per Confeſſionis manifeſtationem, & quantum ad hanc cognitionem, non* POTEST MAJOREM CERTITUDINEM ACCIPERE, *quam ut ſubdito credat; quia hoc eſt ad ſubveniendum conſcientiæ ipſius. Unde in foro Confeſſionis creditur homini & pro ſe & contra ſe, non autem in foro exterioris judicii.* Aliis uterque locis Trium-Viratum impugnat & expugnat: addo breve illud Bonaventuræ ibid. parte 3. a 1. q. 3. *Confeſſio eſt adeo oneroſa ſive ignominioſa, quod ..... pauci audeant plenè & integrè confiteri etiam coram unico Sacerdote*: facit illud ad confirmationem eorum, quæ ſupra dicta ſunt.

Nunc hic meritò oriatur hæc quæſtio, unde ergo ſuam moralem Trium-Viri hauſerint: ſi nec Scripturæ, nec Patribus, nec Scholæ Principibus eam debeant. Otioſa hoc tempore quæſtio eſt, detecti jam dudum ſunt eorum loci Theologici, Petrus d'Oſma, Marcus Antonius de Dominis (legi meretur fraus hæreticorum decima partis primæ) Montaltii Litteræ, Wendrochii Notæ, Rituale Aletenſe, & plures ejuſmodi damnati furfuris Libelli; verba ad manum ſunt, quibus fidem faciam, ſed nolim tam nigris verbis caput hoc tam Catholicum profanare, nimium eſt nominaſſe.

APPENDIX.

Seu brevis ad alias materias digreſsio.

HActenus de Sacramento Pœnitentiæ, nunc ad alias materias digredimur; & hanc Appendicem, ut in partirione operis monui, reliquo operi liberalis adjicio. Faciam id porrò non operosè ſed obiter, & levi manu ſcopas ventilans eorum ſordes in brevem cumulum colligam; nec multum concordiæ ſolicitus aut ordinis, ut primo quodque occurret, ita primo dicetur: facit præterea R. P. Philippus De Vos, cum aliis, tum nuperis ſuis Theſibus, quibus Gummari dogmata diſcutit, ut ſæpè præterire eum & aliquantum ei parcere poſſim.

De Libertate.

JAnſenius hîc & Gummarus uno prorſus ore loquuntur, audiamus.

1. Janſenius lib. 6. de Grat. Chri. Salv. col. 648. & ſeq. docet, amorem beatificum eſſe liberum, & probat, quia fit cum volumus; quia eſt in noſtra poteſtate; quia ſumus illius Domini; inter alia; *hoc ipſo quo volens erit voluntas, erit*

erit idcirco in poteſtate, quia fiet cum volet, & conſequenter libera & col. 651. *eſt enim* (voluntas beatifica) *in poteſtate noſtra, ſumus ejus Domini, ſuſpendimus eam quando volumus.* Gummarus in compendio 2. edit. pag. 23. ita habet *amor beatificus, eſt actus humanus, & perfectè voluntarius ac proinde liber libertate eſſentiali* : & probat in dictatis, quia *per illam quod volumus facimus, ſumus igitur futuri Domini iſtius amoris, ſive futurus eſt iſte actus in poteſtate noſtra.* En alterum Janſenium.

2. Janſenius ibid. col. 653. contendit voluntatem beatificam eſſe magis liberam, quam ſit voluntas viatoris; & rationem dat, *per nullam enim voluntatem magis volumus, ideóque nulla magis adeſt cum volumus, nullaque magis in noſtra poteſtate, adeóque nulla magis libera.*

Janſenius, Gummarus inquam; ſemper hic erro. *In ipſo amore beatifico major eſt à neceſſitate libertas, quam modo eſt in ullo amore viatoris.* Rationem dat in dictatis : *Quia nulla actio hominis in hoc ſtatu naturæ lapſæ ita eſt in poteſtate noſtra, ac proinde nulla tam juſto titulo vocatur humana, quam amor beatificus.* Da diſcrimen, & eris mihi magnus Apollo. Brevis hic ſum, ſupplebit cætera Gerardus van Vianen toto ſuo de libertate adverſus Gummarum Libello, qui & ſuo conformia principio Corollaria ex Janſeniano dogmate Janſeniana deducit.

De diſcrimine inter gratiam naturæ lapſæ, & naturæ integræ.

CAlvinus illud inter utramque diſcrimen ſtatuit; quod gratia naturæ integræ eſſet ejuſmodi, ut liberum arbitrium eam deſereret, ſi vellet, & ſi vellet, in ea permaneret, non ita gratia naturæ lapſæ, quæ potentior ipſum velle ſeu ipſam actionem inferat: audi eum in Antidoto Conc. Trid. *Hallucinantur* (Tridentini Patres) *quod motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat: denique in eo falluntur quod* NULLUM OBSERVANT INTER REGENERATIONIS GRATIAM ..... ET PRIMAM, QUÆ ADÆ DATA FUERAT, DISCRIMEN: *quod diligenter Auguſtinus exponit. Iſtam, inquit, gratiam non habuit primus homo, qua numquam vellet eſſe malus*; TALE QUIPPE ERAT ADJUTORIUM QUOD DESERERET, CUM VELLET, ET IN QUO PERMANERET, SI VELLET, NON QUO FIERET, UT VELLET; *ſed* POTENTIOR *eſt gratia in ſecundo Adam*, QUA FIT ETIAM UT VELIMUS: Eodem modo loquitur lib. 5. contra Pighium pag. 204. & alibi.

Hoc ex Calvino diſcrimen hauſit Janſenius, & toto paſſim opere, ac præſertim lib. 2. de Gratia Chriſt. cap. 3. & ſex ſequentibus; ſed de Janſenio non agimus, veniamus ad Trium-Viros.

Gummarus idem illud ſtatuit cum Calvino & Janſenio in compendio pag. 53. *Qui de Chriſti Gratia bene ſentiunt cum*

cum Auguſtino dicunt, quod in hoc ſtatu (naturæ lapſæ) *non tantùm det poſſe, ut olim* (in ſtatu naturæ integræ) *ſed & velle.* Idem operosè contendit in Theſibus 14. Jan. 1683.

Macarius in Tyroc. pag. 126. *nimis diverſæ ſunt operationes, & attributa ſtatus innocentiæ & naturæ lapſæ, quam ut combinari poſſint: hæc determinat liberum arbitrium ad agendum, illa determinatur à libero arbitrio;* HÆC DAT *voluntati infirmæ* ACTIONEM *& meritum, illa* TANTUM DONABAT *naturæ ſanæ* POSSE ELICERE *actionem meritoriam.*

Gabriëlis in damnata morali pag. 13. *non ſolum dans àdjutorium, quo perſeverare poſſint, ſi velint, ſed quo velint & invictiſſimè velint, & quo fiat, ut revera perſeverent uſque in finem & ſalvi fiant,* IN QUO CONSISTIT DIFFERENTIA GRATIÆ HUJUS STATVS, A GRATIA PRIMI STATVS, *quæ tantum dabat poſſe preſeverare, non autem velle, ſicque erat ſubjecta libero arbitrio.*

Hinc primo fluit: ſecunda propoſitio in Janſenio damnata ab Innocentio X. & Alexandro VII. *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur;* ut conſideranti patet: nam ubi ea eſt, infert ipſum velle, & ut reſiſteret, deberet nolle.

Fluit ſecundo tertia propoſitio in eodem damnata *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione:* nam ubi gratia naturæ lapſæ eſt, quæ infert ipſum velle, neceſſario vult voluntas, licet non coactè, & tamen per illud velle meretur.

Fluit

Fluit 3. prima Propoſitio in eodem damnata: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibila, deëſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*: nam qui non obſervat præceptum non habet gratiam naturæ lapſæ, ſi enim hanc haberet, cum hæc inferat ipſum velle, utique obſervaret præceptum, atqui tamen ſine illa gratia impoſſibile eſt, ut præceptum obſervet, ergo &c.

De ſtatu integritatis & naturæ puræ.

IN hac materia variæ Propoſitiones Bajanæ damnatæ ſunt à tribus Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. inter alias hæc 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Hujus damnatæ hæc eſt contradictoria *integritas primæ creationis fuit indebita humanæ naturæ exaltatio & non naturalis ejus conditio* ergo qui hanc contradictoriam negat, impingit in damnatam; ſed negat hanc Macarius dum in Tyroci. pag. 224. adſtruit impoſſibilitatem naturæ puræ ſeu integræ, nam ſi integritas humanæ naturæ indebita eſt, ſi non eſt naturalis conditio, ut habet contradictoria damnatæ, cur, amabo, ab omnipotenti Deo condi humana natura non poſſit ſine eo, quod nec naturale ſibi eſt, nec debitum? quod ſi creari talis non poteſt, ut vult Macarius, naturalis pro-

fectò ea ſit conditio, & non indebita humanæ naturæ exaltatio neceſſe eſt: atque en damnatam.

At non abhorret Macarius; nam illud ſuſtinet in Tyrocinio pag. 159. quod *quædam ex propoſitionibus* vulgò Bajanis *in rigore ſint veræ, & ut ajunt Pontifices in illa Bulla, nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu.* Periculoſa doctrina, quæ & Bullas Pontificias eludat, & ad Bajanas promiſcue docendas laxiſſimam viam aperiat; cæterum vetus hæc lis de famoſo illo commate, ſeu diſtinctiva virgula, videri poteſt in ſpeciminibus parte 2. c. 1. §. 4. per totum.

De Charitate.

BAjanizant hic multipliciter Gummarus & Macarius: proſcriptæ ſunt, hæc 33. *omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Et hæc 16. *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine caritate:* utramque ſuſtinent ac tuentur pro viribus; & primam quidem Macarius in Theſibus 9. & 10. Maii 1675. *Vel caſto amore nos ſurſum ferri, vel damnabili cupiditate deorſum deprimi, eſt neceſſum.* Et pluribus in Tyrocin. à pag. 171. & præſertim pag. 175. de caritate & cupiditate, ita loquitur *Hi duo fontes, quaſi duæ reginæ ſunt, dividentes inter ſe bonum*

num & malum &c. ſimiliter Gummarus in Theſibus de caritate concluſ. 2. ut ex ipſo titulo licet colligere: *Amor creaturæ rationalis adæquatè dividitur in caſtam dilectionem Dei, ſive caritatem ſaltem late dictam, & cupiditatem*; & planius in reſponſione ad accuſat. 13. compendii, conforme id eſſe dicit doctrinæ Lovanienſium; *non agnoſcunt*, ait, *niſi duas radices, ex quibus procedunt omnes actus humani, caritatem late ſumptam ſive dilectionem Dei, & cupiditatem ſive amorem ſui*: gratias debent plurimas Gummaro Lovanienſes, quod eorum doctrinam tam nitidè Bajanâ labe aſpergat.

Secundum clare habes in Gummariano compendio pag. 71. *nec poteſt ſine illa* (dilectione Dei propter ſe) *exerceri opus undequaque bonum, imo nec tale, quod caret omni prorſus culpa*: tantum ſcilicet hic à Bajo, quantum alibi à Janſenio recedit. Clarum item & breve eſt illud Macarii pag. 168. *quod omnis actus virtutis* (vera legis obedientia virtus eſt) *debeat eſſe elicitus aut imperatus à caritate.* Ex his aliiſque quæ congeri in hanc Appendicem poſſent plurima, ſua (ſi luberet) conſectaria traherem, ſed non lubet, & faſtidioſum eſt, præſertim ſi nullus fructus ſperetur, alienas ſordes movere.

Venio nunc ad ſchedam funebrem Macarii, neque enim ea, quæ ibi tam ſpeciosè de ejus libris, eorumque doctrina lego, alio opportunius loco elevem, quam ubi recentem plane tot ejus errorum memoriam habemus, &

in ipſo deprehenſum Bajaniſmo tenemus. Nunc tibi illum habe.

Anno à verbo incarnato 1680.*die* 26. *Februarii in Abbatia S. Michaëlis Sacri & Canonici Ordinis Præmonſtratenſis Antverpiæ obiit dilectus nobis in Chriſto Confrater R. D. Macarius Havermans* (hic me locus admonet Licentiatum non fuiſſe eum Theologiæ, quem ego paſſim eruditiſſimum compellavi; levis is fuit error & felix ignorantia, quæ nil peccavit, niſi quod honeſtius virum & humanius ſalutaverit) reliqua porro, quæ ad vitam ejus moreſque ſpectant, quorum Cenſor eſſe nolim, uno ſaltu prætereuntes ad doctrinæ commendationem veniamus: *ſuper excelſam S. Theologiæ Cathedram poſitus lucebat & ardebat; oculis ægris odioſus, puris amabilis; doctrina ejus variis Libris contenta Sanctiſſimo Domino exhibita ſine nævo inventa eſt.* En tibi, Lector, novam Approbationem: ſine nævo inventa eſt doctrina in Libris Macarii, quæ in P. Gabriëlis errorum damnata eſt; ſine nævo inventa doctrina eſt, quæ à tribus Pontificibus proſcripta eſt, credant id poſteri, ego hanc approbationem fictitis aliis apponam, quibus & Gummari Methodus approbata fingitur, & Lovanienſis Cenſura; cujus quidem ridiculam Approbationem Pontificio primum nomine turgidam, paulatim deinde extenuari vidimus, & à Pontifice ad Cardinales, ab his ad quatuor Theologos ad id deputatos, ab illis ad Aſſeſſorem S. Officii, tum ad Organum aſſeſſoris deſcenſum, ac per illud organum in auras denique ventoſque evanuiſſe.

EPILOGUS.

MAnum de tabula tollo : extremum quod vos alloquor hoc eſt, nec multis vos obruam, breve eſt quod precor & voveo; Macarianis manibus felicem æternamque requiem: vobis R.P. Ægidi & Eximie D. Gummare, ſaniorem mentem; ſed quam vereor, ne ex veſtris principiis lenta nimium iſta veſtra ſit ac tarda converſio; quamquam cur deſperem? omnia poſſim à vobis exſpectare, dum glorioſam magni illius Viri & primi Univerſitatis olim veſtræ luminis Michaëlis Baji & Chriſtianam humilitatem memori animo recolo, niſi forte & illa miracula vobis ſint non exempla; ut exempla ſint tamen hortor & moneo,& ne fruſtra horter aut inutiliter moneam, hæc vobis ex opere imperfecto (quiſquis ſit Autor) verba & ſerio penſanda, & crebro ruminanda do: *tales ſunt etiam nunc Sacerdotes, qui omnem juſtitiam populo mandant, & ipſi nec modice ſervant, videlicet non ut facientes ſint juſti, ſed ut docentes appareant juſti, tales ſunt & qui grave pondus venientibus ad pænitentiam imponunt, qui dicunt & non faciunt, & ſic dum pœna pænitentiæ præſentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſueris: neceſſe habet ut aut faſcem rejiciat; aut ſub pondere confringatur: ſic & homini, cui grave pondus pænitentiæ ponis, neceſſe eſt, ut aut pænitentiam*

tuam

tuam rejiciat: aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. deinde, & ſi erramus modicam pænitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? ubi enim Pater familias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax; ſi Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus? vis apparere ſanctus, circa tuam vitam eſto auſterus, circa alienam autem benignus; audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem. Hæc ille Homil. 43. in Matth. nihil habeo quod addam niſi unum hoc, qui auſteri nimis eſtis & rigidi, mementote Tertulliani.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

CENSURA.

GABRIELIANÆ, GUMMARISTICÆ, AC MACARIANÆ TRIUM-VIRALIS CONCORDIÆ, INANE CONAMEN &c. *uti in fronte Operis ſe demonſtraturum promittit Illuſtriſſimus Dominus* SIMON DE FIERLANT &c. *ſic in ipſo Opere egregiè demonſtrat. Quod proinde lucem publicam meretur, ad Eccleſiæ, hiſce in Partibus diſſenſionum zizaniis plurimùm turbatæ, pacem ſtabiliendam. Quam non modicè priore ſuo contra R. P. Gabriëlis Opuſculo, præconio etiam Pontificio non modicè collaudato, provexit laudatus Illuſtriſsimus. Ita prævio examine ſentio, Antverpiæ* 13. *Iulii* 1685.

ANTONIUS HOEFSLACH,
Eccleſiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, Librorum Cenſor.

ORDO MATERIÆ.

PRÆFATIO.

§. 1. *De priore Authoris Libello, & ejus ſucceſſu.* Pag. 1.
§. 2. *De hoc altero Authoris Libello, ejuſque cauſa, & ſcopo.* 7

CAPUT PRIMUM.

Libellus Eruditiſſimi Patris Ægidii Gabriëlis. 15
§. 1. *Editur.* 17
§. 2. *Damnatur.* 18
§. 3. *Corrigitur.* 23
§. 4. *Vertitur in Linguam Gallicam.* 30
§. 5. *Decretoria S. R. Inquiſitionis è Mandato Pontificio, in ſecundam & correctam editionem ſententia.* 32
§. 6. *Ad Hiſtoriam præcedentem brevis Appendix ſeu Ratematoriæ pſeudo-Synodi Lovanienſis de hoc Libro Iudicium.* 36
§. 7. *Suis ipſius verbis Eruditiſſimus Pater ſui nunc officii amicè monetur.* 41

CAPUT SECUNDUM.

Libri Gummariani & Macariani. 47
ARTICULUS I. *Libri* Gummariani. 48
§. 1. *Methodus remittendi & retinendi peccata, &c.* 49

* §. 2.

§. 2. *Methodus à Racematoribus defenditur, ab Inquiſitione Toletana damnatur; deque Gallica Methodi verſione.* 53
§. 3. *Theologiæ Compendium, aliæque Theſes.* 58
ART. II. *Libri* Macariani. 64
§. 1. *Tyrocinium Theologiæ moralis.* 66
§. 2. *Examen Pentalogi Diaphorici, & minores alii* Macarii *Libelli.* 70

CAPUT TERTIUM.

COmmune Trium-Virorum in Scholaſticos Theologos odium. 79
§. 1. *Quæ generatim in Novatoribus hujus odii in Scholaſticos cauſa ſit, ſimulque innuitur, à quibus illud hæreditarium acceperint.* 81
§. 2. *Speciatim Trium-Virorum noſtrorum, & Macarii inprimis in Scholaſticos odii ſpecimina aliquot ex eorum Libris adducuntur.* 83
§. 3. *Ridiculum Macarii Argumentum, quo vult Caſuiſtarum lectionem Confeſſariis inutilem eſſe, & non neceſſariam.* 91

CAPUT QUARTUM.

CVniculi Trium-Virorum ad Subruendum penitus Pœnitentiæ Sacramentum. 100
Obſervatio præambula & totius Capitis fundamentum. Ibid.
SECTIO I. Cuniculus primus, quo ſubruatur Sacramenti forma ſeu Abſolutio. 106

ARTICULUS I. *Primus primi Cuniculi anfractus. Abſolutio Sacramentalis danda non eſt, niſi pœnitentialia prævie & ſatisfactoria opera ipſe Pœnitens ritè præſtiterit.* 107

§. 1. *Fuit illa primitivæ Eccleſiæ praxis; & ſic praxis hodierna, ipſâ Eccleſiâ invitâ & tantum conivente, refrigeſcente caritate, nec ritè nec legitimè intruſa eſt.* 108

§. 2. *Vniverſim oſtenditur, quid Cuniculi lateat ſub ſpecioſo primitivæ Eccleſiæ nomine.* 114

ARTICULUS II. *Secundus primi Cuniculi anfractus. Abſolutio Sacramentalis danda non eſt Conſuetudinario, quantumvis contrito.* 118

§. 1. *Abſolutio Sacramentalis conſuetudinario, quantumvis contrito danda non eſt, niſi vitæ præceſſerit notabilis & inſignis mutatio.* 120

§. 2. *Digreſſio ad Librum de Frequenti Communione.* 128

§. 3. *Conſuetudinario danda non eſt Abſolutio Sacramentalis, niſi ipſam conſuetudinem prius exuerit.* 136

§. 4. *Multiplex adverſariorum fucus in aſſignandis caſibus, quibus Conſuetudinario Abſolutionem dari patiantur.* 141

ARTICULUS III. *Tertius Cuniculi primi anfractus. Peccatoribus, etiam non Conſuetudinariis, differenda eſt Abſolutio Sacramentalis, ad mortem uſque.* 147

§. 1. *Peccatoribus etiam non Conſuetudinariis differenda eſt Abſolutio, donec moraliter certò conſtet de eorum converſione interna, & ſufficienti diſpoſitione.* 149

§. 2. *Excutitur diligentius moralis illa certitudo, & quanta eſſe debeat ex mente D. Gummari: ubi de ineptis ejus ſimilitudinibus.* 156

§. 3. *Differenda Abſolutio, quamdiu adeſt probabilis metus, ne relabatur.* 169

§. 4. *Quæ hactenus dicta ſunt de differenda Abſolutione, de eo etiam intelligenda, qui ſemel peccavit mortaliter.* 176

APPENDIX *ad Articulum tertium de Abſolutione peccatorum venialium.* 181

ARTICULUS IV. *Quartus, & ultimus Cuniculi primi anfractus. De Articulo mortis, & extrema neceſſitate.* 189

§. 1. *Quid hic verbis apertè dicant Trium-Viri.* 190

§. 2. *Quid hic re ipſa tacite moliantur Trium-Viri.* 193

§. 3. *Diſtinctius ſingulorum Doctrina exhibetur.* 198

§. 4. *Ex Trium-Virorum Doctrina deducitur conſectarium, & ſuus huic Articulo titulus aſſignatur.* 204

SECTIO II. Cuniculus ſecundus, quo ſubruatur materia Sacramenti Pœnitentiæ. 214

ARTICULUS I. *Primus ſecundi Cuniculi anfractus: Repetenda ſæpè ſunt aliis & aliis iteratis Confeſſionibus eadem peccata ante Confeſſa.* 217

§. 1. *Confeſſiones durante Conſuetudine recidendi peractæ tamquam ſacrilegæ omnes repetendæ ſunt.* 219

§. 2.

§. 2. *Confeſſiones illo tempore factæ, quo quis ex ignorantia etiam invincibili contra jus naturæ peccavit, tamquam ſacrilegæ omnes reiterandæ ſunt.* 224
§. 3. *Excutitur diligentius hic primus anfractus, & quàm everſivus ſit Confeſſionis pluribus oſtenditur.* 235
ARTICULUS II. *Secundus hujus Cuniculi anfractus circa Sigillum Sacramentale Confeſſionis.* 245
§. 1. *Quid hac in materia Romana Inquiſitio nuper damnaverit.* 247
§. 2. *Quid de hoc Sigillo ſentiat Macarius.* 252
§. 3. *Examinatur Gummari de Sigillo Doctrina.* 256
§. 4 *Continuatur idem Examen.* 263
Capitis quarti Anacephalæoſis. 269

CAPUT QUINTUM.

Catholicum. 274
ARTICULUS I. *Scripturiſticus.* Ibid.
§. 1. *Quibus S. Scripturæ locis abutantur Trium-Viri.* Ibid.
§. 2. *Quæ S. Scripturæ loca faciant pro communi ſententia.* 276
ARTICULUS II. *Eccleſiaſticus.* 280
De veteri primitivæ Eccleſiæ praxi. Ibid.
ARTICULUS III. *Patricius.* 283
§. 1. *Sancti Patres & à communi ſententia, & contra Trium-Viros ſtant.* Ibid.

ARTI-

ARTICULUS IV. *Scholaſticus.* 289

SS. Thomas & Bonaventura *Scholarum Principes à communi Sententia, contra Trium-Viros ſtant.* Ibid.

APPENDIX. Seu brevis ad alias Materias digreſſio. 293

De Libertate. Ibid.

De diſcrimine inter gratiam naturæ lapſæ, & naturæ integræ. 295

De ſtatu integritatis & naturæ puræ. 297

De Charitate. 298

EPILOGUS. 301

ERRATA SIC CORRIGES.

P*Agina* 30. *lin.* 14. tantoq́ue periculoſius tanto, *dele* tanto. *Pag.* 38. *lin.* 9. potuiſtine, *lege* potuiſti, *lin.* 10. ſubducere? *lege* ſubducere, *lin.* 11. objicere? *lege* objicere. *lin.* 14. exclamas *deleatur.* *Pag.* 81. *lin. penult.* caligo, mira, *lege* caligo mira, *Pag.* 90. *lin.* 2. tract. de probabil. *lege* tractatum de probabilitate, *lin.* 11. eo impudentia, *lege* eò impudentiæ. *Pag.* 112. *lin.* 14. & pag. 2. *lege* & pag. 11. *Pag.* 15. *lin.* 18. nequitur, *lege* nequiter. *Pag.* 265. *lin.* 11. opionis, *lege* opinionis. *Pag.* 266. *lin. ult.* confeſsionem, *lege* concluſionem *vel* Theſim. *Pag.* 270. *lin.* 14. ut, quæ, *lege* utquæ. *Pag.* 272. *lin.* 2. pæcuniæ, *lege* pecuniæ, *ibid. lin.* 17. aberit, *lege* aberit? *Pag.* 274. *lin.* 11. dicurſu, *lege* diſcurſu. *Pag.* 278. *lin.* 8. pœnitentialia, *lege* pœnitentialia, &c. *Pag.* 279. *lin.* 7. inquit, *lege* inquiunt, *ibid.* penditis, *lege* perditis. *Pag.* 280. *lin.* 12. ſatisfactiora, *lege* ſatisfactoria. *Pag.* 286. *lin.* 11. amabo, *lege* à malo. *Pag.* 290. *lin.* 21. & D. Thomæ) *lege* in D. Thoma. *Pag.* 300. *lin.* 20. fictitis, *lege* fictitiis.

Dedi præcipua, reliqua pro tua, Lector, induſtria facile corriges.

5-5-2